# APOLOGETICVS
# ADAMI TANNERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

## PRO COMPENDIARIA RELATIONE DE COLLOQVIO RATISbonensi, anni M. DCI. eodem authore Monachij editâ.

ADVERSVS

*ANTI-TANNERVM, HOC EST, MENDACEM, CAlumniosum, imperitumque librum Ægidij Hunnij & Iacobi Hailbronneri Prædicantium Lutheranorum, quo eandem Relationem impugnandam susceperunt.*

INVENIET HIC LECTOR DE NORMA ET IVDICE Religionis, deque Antichristo contra eosdem pleraque copiosius explicata.

ACCESSIT IN FINE

*Appendix ad Lectorem de morte Hunnij*




MOGVNTIÆ, Typis IOANNIS ALBINI,

anno M. D. CIII.



# ADMODVM REVERENDO, MAGNIFICO, ET AMPLISSIMO VIRO, DOMINO GEORGIO

Lauterio SS. Theologiæ Doctori, & ad B. Virginis Monachij Præposito, &c.

*Adamus Tanner Societatis Iesu salutem & fælicitatem à Deo precatur.*



I mores ac ingenium Hæreticorum mihi antea perspecta non fuissent, vir amplissime, esset sanè, in quo modum agendi, loquendi, scribendi Hæreticorum nostri tẽporis magnopere admirarer. Adeo apud eos non modo vix vlla syncera est veritas, sed nec verecunda quidem vanitas. Agũt, dicunt, scribunt, quæ lubet omnia; sine mendaciis, conuitiis, calumniis vix quidquam: hoc se vicisse rati, quòd nec victi quidem erubescunt. Documentum recens in manibus habeo scriptum illud nuperum duorum Prædicantium, scilicet Ægidij Hunnij & Iacobi Hailbrunneri nomine editum, quod Anti-Tannerum inscripserunt. Vbi sanè ita furori atque impudẽtiæ indulgent, vt vix cuiusquam Catholici meminerint, quẽ non insolentissimo conuitio lacessant; vix quidquam ob sui defensionẽ afferant, quod mendacio aut calumniâ vacet. Pontificem ac Imperatorem Romanũ cæterosq; Catholicos Imperii Principes, aut Antichristũ, aut Antichristiani scorti, fœdissima mãcipia ac porcos nefaria impudentia proclamãt; libertatem carnis, Euangelii libertatem appellitãt; voti sancti

tatem sacrilegè pessundant; disciplinæ Ecclesiasticæ contemptum religionem vocant; incœstas nuptias, Dei obsequium.

Sed iam quis adeo miretur, mendaces, improbos, elatos, sacrilegos, blasphemos esse Hæreticos; quando iam olim non alios futuros fuisse ex Apostolo didicimus, qui Timotheum hac de re disertissimis verbis præmonuit: *Hoc autem scito,* inquit, *quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores, magis quàm Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.*

adTimot.3.

Neq; multum absimilia de Hæreticis sui temporis scripsit olim Tertullianus. *Non omittam,* inquit, *ipsius etiam conuersationis Hæreticæ descriptionem, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit, sine grauitate, sine authoritate, sine disciplina, vt fidei suæ congruens. Imprimis quis Catechumenus, quis fidelis incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnicis si superuenerint, sanctum canibus & porcis margaritas, licet non veras iactabunt, simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cuius penes nos curam lenocinium vocant: pacem quoque passim cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis oppugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur, ante sunt perfecti Catechumeni, quàm edocti: ipsæ mulieres Hæreticæ quàm procaces, quæ audent docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes, nunc neophytas conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt, &c.*

Tertullian. de præscript. cap.

Iam si ad nostra tempora propiùs accedamus, quid aliud fecit Carolus V. Imperator pace belloque florentissimus, cum

cum ex consensu cæterorum Imperii Principum hac publica sententia in edicto quodam Wormaciensi anni 1521. Lutherum notauit. *Obedientiam & regimen omne prorsus tollit, vnde populi ad defectionem & rebellionem à suis tam spiritualibus, quàm temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia cum magno & manifesto Reipub. discrimine prouocentur: quin imò cum vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicitam, & verè ferinam inducere conetur, ita exlex homo leges omnes damnat, & contemnit, vt decreta sanctorum Patrum & sacros Canones publico igni comburere non formidauerit: facturus peiora ciuili iuri, si non magis seculi gladium, quàm Pontificis excommunicationes & censuras metuisset.* Quid, inquam, aliud hac tam aperta sententia fecit tantus Imperator, quàm quòd Hæreticorum encomia ab Apostolo velut in thesi generatim descripta, quasi per hypothesin ad Lutherum accommodauit?

Accedit in ipsorum PseudoEuangelicorum grege testis omni exceptione maior, vtpote qui & ipse in PseudoEuangelicis ministris non postremus: *Si ad Prædicatores* (Prædicantes PseudoEuangelicos) *veneris*, inquit, *qui de verbo gloriantur, inuenies quosdam apertè mendaces, quosdam ebriosos & vinolentos, quosdam fœneratores, quosdam superbos & fastuosos, tum habitu, tum gestu; quosdam calumniatores & conuitiatores, quosdam proditores & persecutores innocentum. Quo iure etiam ac fide nonnulli matrimonia contraxerint, cuius notæ vxores habeant, Domino atque ipsis concedo. Agunt inertem, quietam & ignauam vitam, aluntur meris seductionibus & blanditijs ex Antichristi* (ex Ecclesiæ Catholicæ) *prædis & rapinis. Tantum docent, quantum ventri dedito magistratui placet, quantumque ille iusserit, &c.* *Menno lib. de Christian. fid. c. de fide Mul*

Quis igitur miretur Hunnium & Hailbronnerum suorum maiorum vestigiis adeò constanter insistere? Illud potius mirum est, cum & Apostolos citato loco huius farinæ homines vitandos adeò disertè monuerit, & Christus non aliundè quàm ex eiusmodi fructibus Pseudoprophetas dignoscendos esse docuerit; mirum, inquam, est, adhuc inueniri posse, *Matth. 17.*

qui hæreticis adeo publica ac perſpicua voce toties damnatis adhærere malit,quam Catholicæ Eccleſiæ veritatem ſectari: niſi fortè hoc ideo mirum non ſit, quod vt cum ratione inſanire,ita & hæreſin ſano iudicio amplecti nemo poteſt. Interim præſenti ſcripto Apologetico id effeciſſe me ſpero, vt cumPrædicantibus iſtis in propoſita controuerſia nemo prudenter ſentire queat; quin potius ſpes eſt, futurum vt etiam aduerſarios ipſos ſuæ adeò vecordis impudentiæ tandem pudeat & pœniteat;quâ ſe nemini magis,quàm ſibiipſis incommodare ſpero tandem ſentient. Nã vt ait Seneca: *innumerabiles proprietates ſunt,ſed vni' effectus vitij,diſplicere ſibi, &c.* Et infra: *Omni vita pendent* (ſcelerati) *& inhoneſta ſe ac difficilia docent, agũtque,& vbi ſine præmio labor eſt,torquet illos irritum dedecus & dolent ſe praua fruſtra voluiſſe. Tunc illos & pænitenttia cœpti tenet, & incipiendi timor,&c.*

*Senec. libr. de Tranquil. vit. cap. 2.*

Hunc verò librum tibi,vir ampliſſime, ea de cauſa dicare & conſecrare volui,vt quo erga te eſſem animo, hoc publico monumento teſtatum facerem. Sunt enim ſanè multa, quæ me in tui amorẽ ac obſeruantiã dudum rapuerunt, eaq; commemorarem prolixiùs, niſi hoc ipſum mei erga te amoris & obſeruantiæ eſſet, non tam amori meo obſequi, quàm tuæ voluntati. Amo nimirum & obſeruo,quod in te diligunt, reuerenterque colunt omnes,ſyncerum illum, veréque Germanum animi candorem, modeſtiam, ac integritatem morum vitæque ſingularem, religionem in Deum, & continentiam eximiam,auitæ Religionis tuendę promouendęque ſtudium diutinum ac indefeſſum; excellentem in omni doctrinæ Eccleſiaſticæ genere eruditionem; ac demum inſignem prudentiam ab eruditione & diuturna rerum experientia comparatum;& quod præcipuum eſt, æquabilem illam animi conſtantiam, quâ iam in his omnibus nunquàm interrupto virtutis ac dignitatis curſu feliciter conſenuiſti. Atque hæc publica eſt mei erga te amoris & obſeruantiæ cauſa. Accedit altera priuata, quod non modo Societatem noſtram

tuo

tuo iudicio ac beneuolentia eximiè ornare pergis, ſed me quoque, poſtquam Colloquium Ratiſbonenſe propiore quadam conſuetudine nos coniunxit, adeo magno ſemper amore ac beneuolentia complexus es, vt non modò amicitiam, ſed & pene dixerim familiaritatem, inter nos mutuo intercedere volueris. Hac igitur amicitia viri clariſſimi, religioſiſſimi, ſpectatiſſimi, ampliſſimi, cùm adeo ornari, quin etiam adiuuari me ſentiam, volui hoc publico monumento aliquam grati tuique obſeruantiſſimi animi ſignum exhibere, paruulum id quidem & tenue (quid enim in pugna contra viles adeò & abiectos aduerſarios p̃clari ineſſe queat?) ſed vt ſpero, ob tuam erga me humanitatem ac beneuolentiam tibi gratiſſimum. Monachij Calend. Aprilis. Anno M. D. CIII.



AD



# AD LECTOREM.



EDidi ante annum, amice Lector, sub Illustrissima tutela ac præsidio Serenissimi Bauariæ Ducis Maximiliani, Relationem compendiariam de Colloquio Ratisbonensi, quod anno millesimo sexcentesimo primo exeunte, habitum est. Ea res aduersariorum animos mirificè affecit; adeo vt qui prius vanissimis vndique rumusculis disseminatis insaniebant, furere etiam postea viderentur. Et quia satis eis non videbatur, Relationi illi vnum Antagonistam obuiam mittere, prodière duo, Ægidius Hunnius & Iacobus Hailbronnerus, vterque PseudoEuangelij secundum Lutherum Prædicans, alter Wittebergæ, Neuburgi alter; vterque Lutheranæ Pseudologiæ Magister & Doctor, vterque Ratisbonensis Colloquij ex parte Illustrissimi Comitis Palatini Collocutor.

Sub horum, inquam, communi nomine in lucem editur *Anti-Tannerus, scriptum*, vt aiunt, *Apologeticum contra turpissima mendacia Adami Tanneri, Societatis Anti-Iesuiticæ Monachi, quibus & Theologos Augustanæ Confessionis in Ratisbonensi Disputatione Collocutores calumniosè proscindere, & Colloquium ipsum in aliam quasi speciem veteratoria πανουργίᾳ per Relationem compendiariam suam transmutare non erubuit.* Ita scilicet egregii isti viri à mendaciis, à conuiciis, à calumniis Apologeticum suum felici sanè omine auspicantur.

Sed quis eorum tanto dolori non condoleat potius, quàm irascatur? Equidem à tali hominum genere aliud expectare non poteram, nisi pro veritate odium, pro admonitione calumniam. Dolebat nimirum Prædicantibus illis, ausum fuisse Tannerum, tam gloriosæ eorum iactationi palam, in omnibus locis perstrepenti sese medium ex aduerso inferre, eorumque fabulo-

fabulosis clamoribus solida ac verace Relatione contraire; ita quidem, vt ipsum Protocollum Iesuitarum scilicet incantationibus dementatum, quod ipsemet Hunnius alicubi non semel lacrymosè deplorat, iam minimè loquatur, quod Prædicantes audire delectet. Hinc iam in me calumnias & mendacia exclamant; nunquam magis ipsi mendaces, quàm cùm nos mendacii arguunt. Hinc quia fortè *Iesuitæ* nomen adeo sibi exosum balbutiente lingua proferre non poterant, *Monachi* appellationem, suo videlicet iudicio probrosam, sed meo etsi Monachus non sim, honoratissimam mihi tribuunt. Verum hæc præludia tantum sunt Prædicantici furoris. Etenim in libro suo adeo in me conuiciis debacchãtur, vt etiam verba eos hac in re defecisse videantur. Nec enim satis eis fuit, me *Goliathum alterum, incircumcisum Philistaeum, Sathanæ filium, Sathanam, Diabolum* calumniosè vocitare; sed etiam nouata voce, me *diabolizare* aiunt, ac *diabolizantem* nonnunquam appellant. Sed quinam sunt isti adeo insolentes calumniatores? ii nimirum, à quibus si tales esse non desinant, ignominia sit laudari, pulchrum verò & gloriosum vituperari. Nec enim facilè, aut bonus mala, aut malus bona commendat: sed quod in se ipso quisque amat, in alio plerunque laudat; nihil ferè pulchrum æstimans, quod sui dissimile sit; nec laudabile, quod aduersum. Aut num fortasse canis modestiam laudet? an porcus munditiem? an diabolus virtutem? an Hæreticus veritatem? sanè mihi quidem etiam veritas suspecta sit, quam Hæreticus laudet. Adeo à Prædicantibus istis quod in meis scriptis est veritatis, commendari non ambio. *Male*, inquit Seneca, *de te loquuntur homines. Sed mali. Mouerer, si de me Marcus Cato, si Lelius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere laudari est. Non potest vllam autoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est, damnat. Male de te loquuntur. Mouerer si iudicio hoc facerent, nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, sed de se. Male de te loquuntur. Bene nesciunt loqui: faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Quibusdam enim canibus hic innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.*

*Senec. libr. de remed. fortuitorum.*

):( ):( Ne-

Neque verò me ſolum calumniis impetunt, ſed vt quiſque bonus eſt, ita Prædicantibus exoſus eſt. In toto ſuo libro Hunnius vix vnquam Catholicos aliter, quàm *Cacolycos* vocat; Ieſuitas ſemper ferè *Suitas*. Et Romanum Pontificem quid non? ſuo quidem iudicio nunquam mitius, quàm cùm eum Antichriſtum appellitat. Reliqui verò Imperii Catholici Principes ac proceres, cum ab his hominibus *Babylonicæ meretricis*, & vt infra Hunnius loquitur, *impuriſſimi Scorti* proci, cum Antichriſti mancipia audiunt, nullam iſtorum Prædicantium iudicio calumniam patiuntur: quin potius Deo gratias debent, quod ſuam adeo contumelioſam ſeruitutem, & fœdam ſocietatem à Prædicantibus ſcilicet adeò clara luce delectam conſpicantur.

Etſi verò, ſi de mea ſolummodo perſona ageretur inſanas eiuſmodi Prædicantium voces, non tam voluntati, quàm dolori imputandas facilè contempſiſſem; attamen quia ſimul communem Religionis cauſam perditum eunt: reſpondendum eis aliquid duxi, non tam pro eorum meritis, quàm pro meo Religioſi hominis officio.

Poſſem equidem fortaſſe hominibus iſtis ſua conuicia maiore acumine, quam ipſi miſerunt, remittere, & πάντα περὶ πάντων referre: idque vel meis verbis, vel ſi me deficerent mea, alienis. Poſſem vt Tertullianus contra Marcionem, ita ego contra Hunnium Marcione nihilo modeſtiorem Prædicantem exclamare: *Scytha tetrior, Hamoxobio inſtabilior, Maſſageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obſcurior, hyeme frigidior, gelu fragilior, Iſtro fallacior, caucaſo abruptior, &c.* Sed quorſum hæc conuiciorum prælia? Vocabo equidem aliquando ſcapham ſcapham, mendacium mendacium, &c. at de cætero quàm ab iſtorum hominum genere acceptis conuiciis beatum me exiſtimo, tam Chriſtiani officii memor, reddere non curabo, quod accepi: niſi fortè aliquando non illatæ quidem iniuriæ dolor, ſed violatæ veritatis amor, etiam acerbiorem mendacii reprehenſionem, intra Chriſtianæ modeſtiæ terminos, extorſerit.

Tertul. libr. 1. contr. Marc. cap. 1.

torserit. Quod quidem etiam, vt spero, culpabit nemo, nisi qui forte Christi Sanctorumq; exempla nesciens, edere mella nouit melius, quàm aut conficere, aut aculeo tueri; tam non ardens veritatis amator, quàm propitius vanitatis hostis.

Ordinem autem in hoc libro seruare visum est, non eum quidem ad Prædicantici Apologetici confusum chaos; sed ad ad ipsarum rerum tractationem accommodatum. Tum quod pleraque hoc libro nobis à Prædicantibus obiecta, iam à me alibi tractata sunt: tum ne, quod ab aduersariis actũ, idem pluribus locis repetendum veniret; tum vt ipsa tractatio solidior esset, minusque & lectori molesta, & magis fructuosa.

Quocirca rebus ipsis in certa capita distributis, omnia, quæ sparsim ac confusè in suo Apologetico de eadem re tractant aduersarii, ita coniungo, vt tamen quæ iam alibi contra Hunnium à me affatim pertractata sunt, minimè retractem. Eodem enim tempore, quo Hunnius hunc Apologeticum contra meam Relationem edidit, simul ego quoque examen Hunnianæ Relationis in lucem dedi, nullo hactenus responso, quod sciam oppugnatum. Quin etiam nuperrimè Apologeticum, pro Monacensis Protocolli Præfatione, contra Hunnianas calumnias, Typographico prelo mandaui; in quibus libris quæ Prædicantes primis quatuor sui Apologetici capitibus de scripturarum contemptu, de tergiuersationibus, de contradictionibus, de absurdis, vt & infra ca. 7. de forma Dialectica, ex Hunnij Relatione denuò contra nos regerunt, luculenter & prolixè refutata sunt. Si quid tamen etiam in hoc genere de nouo additum est, præsertim quod alicuius momenti esse videatur, adeo non dissimulabo, vt spes sit, aduersarios mihi nimiam potius in hoc genere diligentiam exprobraturos esse. Qui quidem sui Apologetici ordinem à me seruatum nõ esse, eò minùs ægrè ferre poterunt, quod nec ipsi quidem ordinem meæ Relationis, quam impugnandam susceperunt, secuti sunt. Illud demum obseruabit Lector, me in ipsa tractatione, vt iam etiam in Præfatione, nunc vtrumque

Prædicantem, nunc Hunnium ſolùm (à quo ſolo Apologeticum eſſe conſcriptum, ſecus quàm eius inſcriptio mentitúr, liquidè patet, non ſolùm ex ſtylo, ſed etiam ex ipſius Hunnij verbis pag. 468.) Antagoniſtam mihi proponere. Quibus tamen non aliter aduerſarium me profiteor, quàm quatenus ipſi veritati aduerſari non deſinunt, cætera amicus, & ſi voluerint, etiam ſocius, & frater. Deus modo illos in Catholicæ Eccleſiæ gremium reducat, & Lectorem ſua gratia fortunet.



IN-



# INDEX CAPITVM.

## CAP. XVII.

*De tempore aduentus Antichristi.*

## CAP. XVIII.

*De Catholicæ veritatis triumpho in Colloquio Ratisbonensi de Prædicantibus relato.*

*FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS Iesu, per superiorem Germaniam.*

APologeticum hunc in causa Colloquii Ratisbonensis contra Prædicantium calumnias & imperitiam conscriptum à P. Adamo Tannero Societatis nostræ Theologo, & à quatuor Patribus itidem Theologis lectum & probatum, Ego GREGORIVS ROSEFFIVS, Societatis Iesu per superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, potestate mihi ab admodum R. P. N. Præposito Generali, P. Claudio Aquauiua facta, typis mandari permitto. In cuius rei fidem hoc authori testimonium, manu nostra subscriptum, ac sigillo munitum dare volui. Ingolstadii 24. Martii. anno M. D. CIII.

Gregorius Roseffius Prouincialis, &c.

Et meo iudicio Apologeticus hic R. P. Adami Tanneri ad redarguendas tam apertas & impias Prædicantium istorum calumnias omninò in publicum emittendus est.

ALBERTVS HVNGERVS, Academiæ Ingolstad. Procancellarius, & Collegii Theologici pro tempore Decanus.

Ad lectorem.

*Errata quæ in properata relectione notare potuimus corrige, & ignosce. In epist. dedic. p. 1. v. pen. porcos, lege procos. p. 4. vnius, lege vnus. Apol. p. 2. v 12. hanc numeri notam. 1. omissam repone. v. 23. inquam, lege vnquam. p. 8. v. 9. aßertimus, lege asseruimus p. 9. v. 7. scapra, lege scapha. p. 12. v. 13. Pseudo Euangelicorum, lege Pseudo Euangelium. v. vlt. gratulenter, lege gratulentur. p. 13. v. 1. proscium, lege Roscium v. 30. throsonē, lege thrasonem. p. 14. v. 18. Hebendero, lege Zebēdero. v. 24. siccata, lege siccato. p. 23. v. 3. viga, lege iuga. p. 32. v. 11. constitutum, lege constrictum. pag. 50. v. 9. intelligibantur, lege intelligebantur.*

*pa. 54.*

*pag. 54. Acrius lege Actius. pag. 66. v. 31. ſuum lege ſuam. pa. 84. v. 24. blemi, lege blenni. pa. 134. v. 20. ſimila, lege ſimilia. p. 136. v. 36. contemplũ, lege contemptum. p. 44. v. vlt. Ciciliam, lege Ciliciã. p. 149. v. 8. accidere, lege accipere. Item. v. 14. ſcindendo, lege ſuadendo. Item v. pen. &, lege eſt. p. 152. liquẽt, lege liqueat. In appendicis p. 1. v. 28. aterna, lege æterna. v. 7. obſtruſit, lege obtruſit. v. 11. litigare, lege vililitigare p. 4. v. 5. ſanrioribus, lege ſanioribus. v. 6. diſplictiurum, lege diſpliciturum. v. 26. gratus, lege gratis.*

APOLO-



# APOLOGETICI PRO RELATIONE ADAMI TANNERI, E SOCIETATE IESV DE COLLOQVIO RATISBONENSI.

## CAPVT I.

### *DE CENTVM FALSIS PRÆDICANTIVM, QVÆ in sui Apologetici præfatione euomuerunt.*

PErsuadere in sua Præfatione Lectori conatur Hunnius, Iesuitas sibi de euentu Disputationis Ratisbonensis malè conscios, aliter nunc sentire & loqui, de Disputationibus cum Hæreticis habendis, quàm initio, nimiâ, vt ipse putat, confidentiâ sensisse videbantur. Sed falsum hoc esse, norunt omnes, quotquot scripta nostra post Disputationẽ edita non ignorant. Ex iis enim patet, nos pari semper confidentia, imò ẽt ob expertam hostium imbecillitatem multò nunc maiore animo ad Disputationes cum Hæreticis, si legitima forma seruetur, habendas, affectos esse. Itaque sicut ante omnem Disputationem palam protestati sunt Catholici, nolle se disputare vnquam, nisi aduersarii ad Dialecticam disputandi formam adstringi se patiantur; ita nunc quoque, vel ipso experimento certius edocti, hanc vnicam esse viam ad conuincendos de falsitate proteruos aduersarios, eidem sententiæ multò firmius insistunt: de qua re alibi copiosè à me dictum est. E conuerso, vt Catholici ante Ratisbonense Colloquium, Disputationem formæ Dialecticæ, aliarumque legitimarum conditionum legibus deuinctam, aptissimum esse medium falsitati destruendæ, veritatique hominum animis inserendæ, duxerunt, & dixerunt; ita nunc quoque etiam maiore confidentia ducunt & dicunt, hoc solo cautiores effecti, quod experimento iam didicerunt, non cuiuis aduersariorum promissioni, de seruanda forma Dialectica aut creden-

*Vide Relat. comp. par. 3.*

dum, aut fidendum esse; sed rem hanc omnem in specie magis & sigillatim cum aduersariis transigendam, animosque perfidorum ad fidem seruandam fortiore etiam vinculo obligandos esse. Huc tendit summa eorum, quæ hac de re, vel à nostro Iacobo Gretsero, vel à me dicta sunt.

*Resp. Grets. ad Thes. Hun. cap. 1. Relat. cap. 3.*

Et potuissent hæc quidem sufficere ad refellenda illa omnia quæ in sua præfatione obganiunt Prædicantes. Sed q a operæ pretiū esse videtur, exemplum statuere Prædicantici furoris, idcirco falsa (quorum pleraque mendacia sunt) in sola præfatione à Prædicantibus impudenter effutita, breui Catalogo comprehensa, Lectori ob oculos ponere volui; eaque tam non operosè refutata, quam temere sine vlla probatione asserta: vt vel hinc, quid de toto eorum libro censendum sit, intelligat.

Falsum est igitur, à Catholicis ante Colloquium ita Disputationis illud medium ad falsitatem extirpandum celebratum fuisse, vt eius sententiæ nunc pœniteat.

2. Falsum est, Doctorem Pistorium aut Iesuitas quidquam de animi sui confidentia, quoad Disputationes cum Hæreticis habendas remisisse. Verissimum est autem Prædicantes sic iam post Colloquium affectos esse, vt qui se formam Dialecticam in Colloquio seruaturos esse receperant, eam nec in Colloquio seruare ausi fuerint; nec vnquam posthac tantum animi sint habituri, vt Disputationem aliquam Syllogisticæ formæ legibus astrictam subire ausint. Testis huius rei luculentissimus est, non solum Hunnius, dum adeo magnificè gloriatur, se Iesuiticam formam nec seruasse, nec vt ad eam seruandam obligetur, inquam passurum esse; sed etiam Georgius ille Mylius, siue Mullerus, qui primarii S. Theologiæ Professoris nomine Ihenæ gloriatur, cui in suis Thesibus de methodo Theologicæ demonstrationis ἐν προσθήκης μέρει libuit hæc duo προβλήματα subiicere, his ipsis verbis: *I. Si Euangelici Disputationis aleam subire cum Iesuitis velint, num necessitatis sit, vt se ad formam syllogisticam in argumentando & respondendo astringi patiantur. Respondetur, Negatiuè. II. Si cum iisdem in Colloquium descendendum sit: Num consultum saltem sit, syllogistica tantum forma cum iisdem agere? Respondetur, Negatè.* Ista Mullerus iste. An ergo hoc probrum vnquam eluent Prædicantes? Respondetur, Negatiuè. An verò sui illos pudebit tandem? Respondetur Negatè.

*Relat. de Colloq. & Notat. Epist. Hun.*

3. Falsum est, Iesuitis ante Colloquium *nihil aliud prope in ore fuisse, quàm Colloquium Colloquium, Disputatio Disputatio*, quasi videlicet ipsi fuerint huius Colloquii Authores, cum aduersa pars Disputationem prima postulauerit, vt alibi commonstratum est.

*Relat. par. 1. cap. 1.*

4. Falsum est, nos vel postulata etiam iam ab aduersa parte Disputatione

tione sine limitationibus & conditionibus vllis, ita nudè tantum & generatim Disputationem vrsisse, *vt si* Prædicantes *sint cordati viri congrediantur & pedem contraferant.*

5. Falsum est, nostros ita generatim dixisse, Prædicantibus non esse tantum animi vel fiduciæ, vt inire nobiscum Disputationem audeant vllam, quantumuis scilicet suo alioqui libitu constitutam; cum non nisi de Disputatione æquis legibus temperata & præcipuè Dialecticæ formæ astricta locuti fuerint. Qua ratione verùm illos dixisse experientia testatur.

6. Etsi Prædicantes vix rudes Scholastici sint, falsum tamen est, nostros iactasse, se Prædicantes *tanquam rudes ex inferiore aliqua classe Scholastico primo statim congressu capere velle*, quod figmentum Hunnij alibi detectum est. *Exam. Hun R:lat. cap. 2.*

7. Falsum est, & calumniosum mendacium, Catholicos vnquam dixisse, aut scripsisse, *Si Prædicantes dicturi sint, esse syllogismum in Bocardo tunc se pugno eis incusso dicturos esse in Bocallo.* Quod mendacium non solùm à me iam antè refutatum est, sed etiam redarguitur à Symmysta Hunnij Daniele Cramero, qui quantumuis alioqui mendax, id de syllogismo duntaxat Prædicantium in Bocallo, non de ipsis Prædicantibus dictum esse, refert. *Cram. in Relat. Ger. fol. B. 1.*

8. Falsum est, spem fructus ex Colloquio prouenturi Catholicis periisse, imò fructus subest, & vberiorem aliquando per Dei gratiam secuturam confidunt.

9. Falsum est, Catholicos Protocollum ob eam causam solummodo edidisse, *ne se Protocolli apud Lauinganos excusi testimonio accitos agnoscere viderentur*: cum Monacensis Protocolli editio Lauinganam anteuerterit. De qua re alibi plura. *Apolog. pro præfat. Monac. Protocol. cap. 1.*

10. Falsum est, Catholicos solicitè cauisse, *ne sua* (Protocolli) *editio sine Relatione Tanneri diuenderetur.* Cum quidquid in hoc genere fecerint Bibliopolæ, suo commodo & arbitrio fecerint, nullo Catholicorũ iussu aut monitu, vt etiam alibi fusius perscripsi. *Apolo. cit. c. 1.*

11. Calumniosum mendacium est, Catholicos à proprio illo Protocollo solitariè inter suos sparso & lecto sibi metuere vehementissimè.

12. Falsum est, Catholicos eiusmodi metus indicia præbuisse. Imo vt noris Prædicans, ipsimet Iesuitæ, Protocollum solitariè non paucis dono impertiuerunt.

13. Falsum est. Etiamsi maximè Catholicorum operâ, Protocollum non sine Relatione diuenditum fuisset, id tamen meritò censeri posse ex diffidentia causæ factum, vt alibi ostendi. *Apolog. Cit. cap. 1.*

14. Calumnia est, Tannerum sua Relatione *Colloquium per innumerabilia*

*rabilia mendacia in aliam speciem transformasse.* Sed de hac re quædam alibi à me dicta sunt, & ex instituto agetur capite sequenti. Ex quo patebit toties luculenter mentiri Hunnium, quoties me alicuius mendacii arguit.

15. Falsum est, *nos non fidere liberis hominum iudiciis.* Scripsimus enim de Disputatione ea, quæ vera esse noueramus, liberumque Lectoris iudicium ex Protocollo non tantum recusauimus nunquam, sed etiam compellauimus.

*Vid. Præfat. Relat. ad Lector.*

16. Mendacium est, *nos testimonio conscientiæ conuictos teneri.* Catholicam enim veritatem vicisse, alibi demonstrauimus, & rursus patebit infra cap. Vltimo.

*Vid. Relat. ca. 1. part. 3.*

17. Falsum est, Catholicos *recordari, quàm sese prodigiosis suis absurditatibus, blasphemiisque in spiritum sanctum horrendis, coram vniuersa Ecclesia prostituerint turpissimè.* Meras enim calumnias & mendacia hæc esse, alibi luculenter ostendimus.

*Vid. Exam. Hun. Relat. ca. 10. 11. 12. 13. & 14. & Apolog. pro Præfat. cap. 18.*

18. Falsum est, *nos sæpius ad testimonia sacrarum litterarum necesse habuisse obmutescere.* Nullam enim aduersariorum obiectionem ad rem iuxta disputandi leges allatam prætériuimus: ex cæteris quasdam prudenter, & ex officio nonnunquam reiecimus, vt etiam alibi ostendi. Nec nisi futiles & absurdæ sunt næniæ, quascunque ex prætermissis scripturæ testimoniis pro suis erroribus consequendis exstruxerunt Prædicantes, ita quidem, vt iam alibi meruerunt à nobis in absurdis reponi.

*Apolog. ca. 13.*

19. Falsum est, nos *quoad Disputationes* cum Hæreticis *habendas, stylum vertere,* vt supra ostendimus.

20. Falsum est, nos iàm primùm *querulari incipere, quod cum Lutheranis Hæreticis,* (non enim hunc eis titulum inuidemus) *disputare sit infrugiferum.* Quod enim in huiusmodi Disputationibus modo improbamus, nunquam probauimus, quatenus eas verò aliquando probauimus, nec iam quidem improbamus.

*Tertul. de præscript. cap. 15.*

21. Falsum est, nos Tertulliani dictum; Hæreticos non esse ad Disputationem ex scripturis admittendos, eo referre, quasi nunc in posterum cum Hæreticis ex scriptura disputandum nunquam existimemus: cum equidem eam sententiam vel eo solùm retulerim, vt ostenderem, omnibus quasi Hæreticis hunc antiquum morem fuisse, scripturas ad illorum errorum patrocinium assumere: Quorum etiam vitio accidat, sæpe parum vtilem esse, illam de scripturis contentionem ad quem scopum illum protuli in mea Relatione; Vel vt probarem, iure & secundum rationem prius cum Hæreticis disputandum, quibus competat possessio scripturarum, atque adeo vbi, & quænam sit vera Ecclesia, quàm de aliis particularibus controuersiis ex scriptura cum illis disputetur; ad quod

*Relat. part. 1. cap. 11.*

quod institutum locum illum adduxeram in Examine Hunn. Relat. cap. 12. Nec aliorsum tendit Disputatio R. P. Iacobi Gretseri, cum in suo responso ad Theses Hunnianas in vtramque partem doctè ac prudenter hac de re disserens, tandem concludit, Disputationes eiusmodi cum Hæreticis certis conditionibus non tantum posse, sed etiam quandoque debere suscipi. Neque sanè alia fuit ipsius Tertulliani sententia, qui etsi sæpius asserat, si iure agendum sit, non ex scriptura, nec ex *doctrinarum retractatu*, vt ipse loquitur, contra Hæreticos disputandum, nec eos ad vllam scripturarum collationem admittendos; & verò etiam consultum esse statuerit, communiter non ex scriptura, sed ex communibus quibusdam præscriptionibus, (cuius rei egregium documentum in illo libello de præscriptionibus relinquit) *etiam sine retractatu doctrinarum Hæreticos reuincere*: nihilominus tamen etiam scripsit, *interdum ne compendium præscriptionis aduocatum diffidentiæ deputetur*, *admittendum esse congressionem*, etiam doctrinam ipsam cum doctrina conferendo. Et quid multa? hæc omnium Orthodoxorum & est, & fuit sententia.

*Respond. Iac. Gretsf. cap. 1.*

*Tertul. contr. Marc. cap. 1.*

*Tertul. ibid.*

22. Falsum est, iam primum Catholicos *per exempla recensere* (vt Hunnius loquitur) vt probent, *ex talibus Disputationibus cum Hæreticis plus damni redundare ad Ecclesiam, quàm vtilitatis*. Si enim per *tales* Disputationes intelligit, quales Catholici legitima forma instituendas ante Colloquium Ratisbonense postulabant, falsum est, nos tales Ecclesiæ iam perniciosas affirmare, cùm eas apertè etiamnum commendemus & optemus. Si verò per *tales* Disputationes intelligit, quales & volunt, & ex sua parte esse student Prædicantes, tunc falsum est, tales nos iam primum post Colloquium Ratisbonense improbare, cum eas multo ante detestati simus, vt patet ex scriptis, quæ circa formam modumque disputandi, iam ante Colloquium vtrinque data & accepta fuerunt.

23. Falsum est, *ad eum scopum*, quem modò ex Hunnio retulimus, *fermè totum primum caput Gretseriani responsi ad Theses Hunnianas derigi*; cum id eò solum referatur, vt nequis temerè & absque debita moderatione cum Hæreticis disputandum esse censeat, aut sibi etiam persuadeat, in vllius humanæ disputationis robore situm esse, Hæreticorum pertinaciam ita perdomare, vt ipsi non tantum conuincantur, sed etiam persuadeantur. Disputandum enim quandoque esse, ipsemet multis argumentis conclusit. Sed cur tu, mi Hunni, nihil ad hoc responsum respondes?

24. Falsum est, *hinc* (hoc est, ob eandem causam, siue ad eundem scopum.) *Tannerum in sua Relationi pag. 57. & 58. prolixè recensere, quomodo in Colloquijs victa pars, nihilominus de victoria gloriari consueuerit*. Falsum est hoc, cum ad contrarium potius institutum comprobandum ea exempla retulerim, vt videlicet ostenderem, & si Catholicis Disputationes cum

*Relat. part. 3. cap. 5.*

Hæreticis optimè cessissent, & victoriam illi sine controuersia reportassent, ac proinde tanquam parum vtiles penitus repudiandæ minimè sint, nihilominus tamen Hæreticos victoriam insolenter iactare solitos fuisse: vt vel ex ipsius capitis inscriptione patet.

25. Calumniosum mendacium est, quod nulla syllaba probare conatur Hunnius, me in exemplis illis enumerandis, *multa*, vt ipse ait, *admentiri.*

26. Falsum est, *hanc esse longè aliam cantilenam ab altera illa priore, quam canebant antè Colloquium de præsentissimo scilicet medio, reducendi Germaniam ad Religionem Papisticam, per solenne aliquod Colloquium.* Ad Doctoris videlicet Pistorij, viri sapientissimi votum alludit Prædicans. Sed illi ex nostra Disputatione animum nequaquam concidisse, propediem spero intelligent Prædicantes, si hactenus ignorarunt.

27. Falsum est tamen nihilominus, Colloquii institutionem velut *præsentissimum medium* Germaniæ conuertendæ à nobis venditatum. Neque verò Doctor Pistorius in hoc medio nisi spem Christianæ & antiquæ pacis reuocandæ, pro tempore repositam se habere significauit. Certum autem conuersionis medium esse, quis certò polliceri audeat? *Ecclef. 7.* *Quis enim corrigat, quem DEVS despexerit?* Et sanè errantium conuersio *non est volentis, neque currentis* (neque disputantis) *sed miserentis DEI.* *Rom. 9.* *Quis* (autem, ô æterne DEVS) *dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum, aut quis in conspectu tuo veniet, vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti &c. Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos, subest enim tibi cum volueris posse.* *Sap. 12.*

28. Falsum est, *si verè vicissent Pontificij*, inquit Hunnius, *adhuc decantaretur ab illis cantilena prior: quasi verò non vicerint.* Imò quia vicerunt, idcircò eandem semper cantilenam cantant, hæc iam solum velut ἐπινίκια addentes, quod conuictos & vinctos tenent aduersarios, quos antea solum conuincendos sperabant.

29. Falsum multipliciter est, *ita disputasse Bauaricos Collocutores, vt de ipsismet dogmatis Papisticis, nempe de sacrificio Missatico, de calice Eucharistico per sacrilegium adempto Laicis, idololatrica adoratione consecrati panis &c. & sexcentis alijs erroribus,* inquit Wittenbergensis Erro, *vnquam posthac disputandi, spem omnem penitissimè tollant*; nisi fortè ideo tollere dixerit Hunnius, quod in habito Colloquio Ratisbonensi adeo pudefacti sunt aduersarii, vt nec prouocati quidem amplius in Disputationem, iuxta formæ Dialecticæ præscriptum habendam, consensuri sint: quod verissimum esse supra ostendi.

30. Fal-

30. Falsum, à Catholicis centies refutatum est, Calicem Eucharisticum per sacrilegium esse Laicis ademptum, de qua re contra Hunnium alibi plura. *Apol. pro praefat. cap. 14.*

31. Turpiter falsum est, quod de *Idololatrica consecrati panis adoratione*, tum hic, tum infra pag. 129. ait Hunnius, quasi videlicet Catholici quandam ἀρτολατρείαν introducant, cum tamen haud ignoret, iuxta Catholicorum doctrinam, panis substantiam in Christi corpus & sanguinem, per consecrationem conuerti. Adorant ergo Catholici & quidem Latriae cultu Christum in Eucharistia, sub panis speciebus praesentem, concomitanter etiam species, sub quibus Christùs continetur, ad eum fere modum, quo vna cum Rege etiam adoratur purpura, qua rex indutus est. Quod si hunc idololatricum cultum vocat Hunnius, nę ipse iam erga homines non modo calumniator, sed etiam in filium Dei blasphemus est. *Vid. Concil. Trid. sess. 13. c. 5. & can. 6.*

32. Falso etiam Hunnius sexcentos errores alios Catholicis impingit, cum nec vnum quidem, licet vel ab vniuerso grege Praedicantium adiutus vnquam demonstraturus sit.

33. Falsum est, Praedicantes antehac vnquam serio *sperasse*, fore, vt *de ipsis articulis aliquando disputaretur.* Timuisse enim hoc eos potius, quàm sperasse, ex eo *satis* colligitur, quod post primam Serenissimi nostri Ducis declarationem, quâ scriptis ad Illustrissimum Principem Neuburgensé literis paratum se obtulit, ad Colloquium instituendum, nulla omnino de materia, vel forma, aut loco, aut tempore, seu modo Colloquii conditione proposita, sesquiannus fere prius effluxit, quàm ab aduersa parte responsum de consensu remissum est, nulla haud dubiè mora ipsius Illustrissimi Palatini Principis, vtpote qui primus postulationem eiusmodi Colloquii Serenissimo Principi nostro insinuauerat; sed quod consequens est, sola Praedicantium cunctatione, quibus tanta opus esse deliberatione videbatur, priusquam in Colloquium assensum praeberent. Quid, quod in ipsa tractatione eius negotii, vel de ipsis fidei articulorum principiis Colloquium inire, adeo initio pertinaciter detrectârunt, cum tamen haud dubie maior eis fiducia suas conclusiones, quàm principia defendendi esse non potuerit. De qua re etiam alibi à me dictum est. *Exam. Hun. Relat. cap. 2.*

34. Falsum est, Doctorem Pistorium non amplius paratum esse cum Praedicantibus *ex sola scriptura* de articulis quibusdam controuersis *disputare*, eo modo quo aliquando paratum se obtulit. Experiatur rem suo periculo Hunnius, si suo ipse mendacio non diffidit.

35. Tametsi quidem in aliquo sensu vero accipi possit, *ex sola scriptura, ne vnam quidem controuersiam posse definiri*; Falsum est tamen, nos id in Colloquio dixisse; nedum palam & ex professo contendere. Aliud enim est refutare Haeresim, aliud definire Controuersiam. Defini-

Definiens quâ talis est, opus non habet, sicut is qui refutantis officium sustinet, ad omnia quæ contra suum decretum obiici possent, de facto respondere; vt ex omnium ferè conciliorum praxi intelligitur. Definire item non nisi superioris est, refutare autem etiam priuati Doctoris.

36. Mendacium turpe & Hunnio perquàm familiare est, nos vnquam dixisse, ne dum *palam & ex professo contendere, esse dogmata ipsa Pontificiorum multa ita comparata, vt nec in sacra scriptura contineantur, nec inde per aliquam euidentem consequentiam deduci queant.* Imo contrarium palam & ex professo in ipsomet Colloquio assertimus, omnia videlicet dogmata nostra ex scriptura, aliquo modo etiam per validam consequentiam deduci posse, vt contra hoc mendacium Hunnij etiam alibi ostensum est. Et tamen adeo in mente Hunnij altas radices egit, vt etiam passim infra id ipsum magna semper emphasi repetat; adeo & pisces aqua & mendaciis delectantur Prædicantes.

*Apolog. pro præfat. cap. 4. Pag. 4.*

27. Falsus ac inanis fucus est, quasi Prædicantes non amplius queant nobiscum de dogmatibus fidei disputare, eò quod ipsi principia quedam nostra, traditiones videlicet non admittant. Nam adhuc ipsis etiam confitentibus disputare possunt & debent, saltem de ipsismet principiis controuersis, ex quibus præcipua quædam fidei dogmata existunt. Quod si tamen etiam contra eos, vtpote principia negantes, disputare non possemus; id eorum tantum, non nostro vitio tribuendum foret.

*Vid. Examen Hunn. Relat. cap. 2.*

38. Quandoquidem Prædicantes in Colloquio fateri coacti sunt, quædam dogmata, verbi gratia, quod hic vel ille liber sit Canonicus, ex traditione siue testificatione Ecclesiæ colligi, vt alibi à me luculenter demonstratum est: consequitur falsum esse, *Prædicantibus integrum non esse, de fidei dogmatibus* (quibusdam) *ex traditionibus disputare.*

*Apolog. pro præfat. cap. 10.*

39. Falsum est, *neq; Doctorem Pistorium amplius cum Prædicantibus ex sola scriptura, vt quidem ante hac solebat gloriari magnificè, disputare posse, nisi prius ea retractentur omnia quæ Bauarici Collocutores effutierūt de scriptura sacra.* Quam nimirum vellent Prædicantes sibi cautum esse contra D. Pistorij & Iesuitarum congressum. Sed hanc rem alibi prolixè tractauimus.

*Exam. Hun. Relat. cap. 12. & 20.*

40. Sæpius iteratum est mendacium est, *Ecclesia Romana dogmata* (*Gretsero & Tannero confitentibus*) *nec in scriptura sacra extare, nec ex ea euidenter deduci posse,* de qua re paulo supra.

41. Falsum est, nos etiam *alio artificio viam & aditum ad omnem porro disputationem de dogmatibus controuersis praclusisse*; tum nimirum, quod Papa dictus fuit Antichristus, *curauimus*, vt Prædicans ait, *protestationem inseri, & ob hanc causam Colloquium abrupimus.* Quasi verò aut alia dogmata controuersa non sint de quibus disputetur, aut de hoc ipso disputari

no

non possit, nisi absque protestatione verum esse concedatur, quod per execrabilem calumniam Pontifici imponunt Prædicantes conuicium.

42. Falsum interim est, inter cæteras eam etiam præcisè abrupti Colloquii causam fuisse, *quod Papa quocunq; modo vocatus fuit Antichristus*, cum non ob hoc præcise abruptum fuerit, sed quòd extra disputationis institutum, ante tempus, neque per modum disputationis, sed per intolerabilem procaciam, quasi dicta iam causa, & explorata veritate, vt *Scapra Scapra, Ligo Ligo*; sic Papa, enormi diuersitate, appellatus sit Antichristus. Interim illo tempore tum de hoc, tum de aliis controuersiæ articulis cum debita moderatione disserere eramus parati, atque etiamnum prompti & parati sumus, vt etiam alibi ostendi. *Exam. Hun. Relat. cap. 32.*

43. Falsum est, occasionem Pontificem vocandi Antichristum, non aduersarios, *sed nos subministrasse*. Eam enim quæstionem extra omne propositum solo tergiuersandi studio ab ipsomet Hunnio motam esse, dudum probauimus. *Exam. Hun. Relat. cap. 23. & Apolog. pro præfat. cap. 4.*

44. Falsum tamen nihilominus est, *Catholicos curasse protestationem* (de illata Pontifici calumnia) *inseri*; quasi videlicet nostro monitu aut instinctu Serenissimus Bauariæ Dux eiusmodi protestationem interposuerit: quod falsum esse, nemo melius nouit, quàm & Collocutores, & ipsemet Serenissimus Princeps.

45. Falsum est, aliquod ex his, quæ iam velut falsa annotauimus, ipsum Tannerum *fassum esse in Relat. pag. 53. Hisce verbis: Cum Prædicantes ab ipso Colloquij exordio, neq; ad formam Dialecticam seruandã adduci, nec ab illa molestissima dictatione, verborumq; inanium protensione abduci posse, palam omnes, tum inprimis Serenissimus Bauariæ Dux, animaduerterent, & iam ante Prædicantes per summam contumeliam, Pontificem Romanum Ecclesiæ Catholicæ caput,* PROCACISSIME *Antichristum proclamassent, iusta indignatione commotus Serenißimus Bauariæ Dux, suam, vtpote Catholici Principis præsentiam, huic Colloquio diutius impertiendum non esse duxit.* Aduertisti ne, Hunni, voculam illam, *procacißime*? Nota quæso, & noli ita procaciter imposterum tua figmenta Lectori obtrudere. Quasi videlicet ob eam præcisè causam, quod Papa quomodolibet vocatus sit Antichristus abruptum fuerit Colloquium.

46. Falsum etiam est, Prædicantes ab ipso Colloquii exordio ad formam Dialecticam seruandam adduci potuisse; idque Hunnium *infra demonstrare*. Contrarium enim alibi probatum est, refutatis omnibus Hunnianis calumniis ac ineptiis. *Exam. Hun. Relat. cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*

47. Falsum est, Hunnium vspiam refutasse, quod de molestissima illa dictatione Prædicantium ex mea Relatione supra recitatum est. Hoc enim verissimum esse, nihil obstantibus Hunnij næniis, in duobus iam e- *Exa. Hu. Rela. Apol. præf.*

ditis scriptis probatum est, ad quæ nullum hactenus ab Hunnio responsum accepi.

48. Calumnia insignis est, quam infra pluribus refutamus, *Pontificiam Ecclesiam curiæ Romanæ, & cohortis Ecclesiasticæ in Apocalypsi* vocari *meretricem Babylonicam*.

49. Non minus impium mendacium est, *prohibitionem coniugij & ciborum*, qualis in Ecclesia Catholica reperitur, *1. ad Timoth. 4.* nominari *doctrinam dæmoniorum*.

*Vid. Bellarm. tom. 3. cont. 3. lib. 5. & 6.*

50. Scelestum mendacium est, *missam Pontificiam esse profanationem cœnæ Dominicæ in sacrificium vnicum Christi contumeliosum*, vt centies à nostris ostensum est.

51. Falsum est, quod quia Pontificii tam calumniosa mendacia aduersariorum *æquo animo ferre non possunt*; ideò de similibus calumniis procacissima impietate aduersariorum confictis disputandi facultas auferatur. Nisi forte Prædicantes adeo molles & delicati sunt Disputatores, vt nisi eis sua, quæ sine probatione iactant conuicia ante conflictum admittantur, vlterius disputare non possint.

52. 53. 54. 55. Falsum quadruplex est, Catholicos *ad acriorem quamlibet ex scriptura vocem excandescere, protestationes interponi curare, Disputationem ipsam abrumpere, & ad Monarchas de iniuria cunctis Catholicis facta criminationes atroces instituere*, vel vnquam instituisse. Quasi verò sacrilega mendacia Prædicantium sint pronunciata scripturæ. Et vide mi Hunni, quam de Colloquii abruptione longe aliter loquatur tuus ille Dialecticæ studiosus: *In processu*, inquit, *Disputationum notant* (Iesuitæ) *vbi rudiorem se & imbecilliorem exhibuit aduersarius: Tunc abrumpunt Colloquia, negantque se posse procedere, quia imperitè disputet pars aduersa, non agat ex* FORMA, *ex* FORMA, *ex* FORMA, *quæ sunt plausibiles accusationes in auribus imperitorum. Et huiusmodi faciunt multa quorum vnum exemplum spectauimus in* ACTV RATISBONENSI *&c.* Agnoscis Hunni tuam ruditatem nobis occasionem præbuisse abrumpendi Colloquium, si tuo Symmystæ fidem habes.

*And. libau. Anal. Colloq. pag. 5.*

56. Falsum quoque ex consequenti est, Catholicos *his modis, his artibus, sibi suisque dogmatis cauere voluisse in perpetuū.* Nimirum talibus mendaciis sibi suisque collegis cauere studet Prædicans, ne vnquam ad disputandum cum Catholicis adigi possint.

57. Falsum ex consequenti est, quod figmentum illud præcedens possit esse vllius *diffidentiæ* Catholicorum *in causa perditæ signum & testimonium*.

58. Falsum est, Catholicos sic primum *habere, quod voluerunt, ne videlicet sibi vnquam de dogmatibus Pontificijs ex scriptura sola disputandum*

*dum sit.* Ne enim ex scriptura sola sibi disputandum sit, eo modo, quo aduersarii volebant, quasi videlicet nulla alia præter scripturam sit norma Religionis, id, frustra reclamantibus aduersariis, habuerunt dudum. Vt autem disputandum eis non sit ex sola scriptura, eo modo quo aliquando id facere sponte volebant Catholici, id nec iam habent, nisi velint, & si volunt, cum laude habent.

59. Vnde si Catholici hoc habent quia sponte volunt & quandiu volunt, falsum est id eos habere *cum æterno suo dedecore & infamia.* Imo cur non potius cum æterna gloria; sic videlicet hostes suos debellasse, vt iam posthac cum eis confligendum non sit amplius. Vnde etiam non falsò forsitan ominatur Prædicans, peractum Ratisbonæ Colloquium *suo tempore suum allaturum esse fructum, imo iamiam non vno modo lætum atque vberem attulisse.* Noui enim ego ipse, non ex plebe abiectos, sed viros graues & excellenter doctos, ex eo partim in suscepta fide Catholica egregie confirmatos, partim ad eam suscipiendam animatos: è contra verò ex Catholicis ad dubitationem de fide suscipiendam permotum, aut quod grauius esset à fide Catholica motum, scio neminem: Certè stultus sit oportet, qui ex eo rei gestæ veritate comperta, ad fidem Lutheranam non dico acceptandam, sed vt ita dicam, per somnium cogitandam afficiatur.

60. 61. Duplex mendacium est, quando Hunnius ipsemet verba mea ex Relatione allegans ait, me dixisse; quod *purgatorium, inuocatio sanctorum, cultus imaginum, transsubstantiatio in Eucharistia, communio sub vna tantum specie, peregrinationes ad Basilicas sanctorum, adoratio corporis Christi in Eucharistia, eiusque honori dicata solennitas, & similia multa nec in scriptura contineantur, nec ex ea sola deducantur.* Quæ omnia Hunnius distincto charactere tanquam ipsissima verba mea recitauit; cum tamen ex ipso medio, quasi verborum meorum contextu, prout habetur in Relatione citato loco, duas voces, è quibus res omnis pendet, nequiter omiserit. Sic enim habent mea verba: *Si enim hoc ita est, fateantur ipsi quæso, si lubet, multa fide infallibili & diuina esse credenda, quæ in scriptura SOLA* (hanc vocem omisit Prædicans.) *non contineantur, nec ex ea sola* EVIDENTER (hanc vocem etiam nequiter omisit) *deducantur; & tunc cum illis nihil amplius magnopere contendemus; fateantur, inquam, purgatorium, fateantur inuocationem sanctorum, cultum imaginum &c.* An hic fructus est, Hunni, quem ex Colloquio reportas, adeò mentiri turpiter debere? Dicam quod ipse hîc alio sensu dicis: *satis profectò (si cetera deessent) ad piorum confirmationem* (addo ego ad impiorum conuersionem) *vna hac vice obtentum esset.*

*Relat. edit. 2. pag 37.*

62. Interim illud quoque, vt antè pro turpissimo mendacio habendum est, in Colloquio (à Prædicantibus) *obtentum esse, quod toties fassi sunt Iesuitæ, Religionem Pontificiam tam esse à scripturis nudam & inanem, vt præcipua eius capita nec in scriptura contineantur, nec ex ea sola deducantur.* Hoc enim nunquam fassi sunt: quod autem fassi sunt, id omnes Catholici etiam necdum natis Prædicantibus fassi sunt: nec omnia videlicet quæ credenda sunt, aperte & expressè in sola scriptura contineri; nec ex ea sola (seposita Ecclesiæ auctoritate) *euidenter* & infallibiliter deduci posse.

63. Vnde, nisi magnopere fallor, etiam hoc dictum Hunnij falsum est, quod prioribus duobus mendaciis nititur, si nimirum Prædicantes, *ex Hypothesi loquendo*, prêter ea, quæ duobus præcedentibus mendaciis continentur nihil obtinuissent, *satis id ad piorum* (PseudoEuangelicorum) *confirmationem*, futurum fore. Nam quæ ad PseudoEuangelicorum accessio fieri potest, ex illis duobus adeo turpibus Prædicantium mendaciis.

64. Et quid nî hoc etiam mendacium, & quidem fœdissimum mendacium erit, ipsosmet Religionis Catholicæ *professores & defensores agnoscere*, suam religionem *in scriptura & Prophetica & Apostolica libris nullum habere firmum ac stabile firmamentum.* O rubor, ô pudor, itanè apud Hunnium exulas?

65. Sed illud impudentius adhuc mendacium est, quod hîc iam tertio aut quarto repetit Prædicans, Catholicos *fateri*, *suam religionem magna sui parte constare einsmodi dogmatibus, quæ non modo non continentur in scriptura, sed ne quidẽ ex ea per vllam aliquam euidentem consequentiam in æternum deduci possunt.* Vbi manet iam particula *sola*? Et tamen Hunnius eiusmodi mendaciis toties repetitis sub interminatione diuini iudicii suos pios à Catholica Religione auocare audet.

66. Falsum ex consequenti est etiam, detractam esse leoninam, in quã se abdiderant; quasi nimirũ quippiã ei⁹ generis fassi sint, vel in ipso Colloquio, vel post Colloquium, quod vel ante natos Prædicantes Ecclesia Catholica fassa non fuerit, de qua re etiam actum est à me alibi.

*Exam. Hun. Relat. c. p12. & 20.*

67. Mendacium est, Iesuitas *ob fœdissimè administratum munus rideri à* Lutheranis *& vilescere apud suos.* Nam vt de risu Lutheranorum nihil dicam, qui si quis forsitan est, Sardonius est, certè nostrorum gratulationem ipsemet Prædicans alibi nobis inuidere visus est. Et pudet vel ex aduersarii ore referre, quod ad laudem spectare videatur: sed vincit tamen verecundiam, Prædicantis impudentia. Nonne tu es, Hunni, qui in tua Relatione de me (qui Collocutorum tamen Catholicorum minimus eram) scripsisti, vos *compertum habere, quantopere sibi de hoc fabulæ suæ Chorago gratulentur Pontificij, qui etiam inscitè cum sua forma saltitans, nihilominus*

*Relat. Hunn. fol. D. 2.*

*minus in Pontificiorum oculis ad numeros planè saltare & Proscium ipsum multis parasangis post se relinquere putatur.* Audis, Hunni, si quidem teipsum audis, Proscii saltationem, Pontificiorum gratulationem. Nonne tu es, quæ in tua quoque Relatione scripsisti, *crebris litteris atq; nuncijs ad te perferri, quomodo Iesuitæ de parta victoria glorientur &c.* Glorienturne verò, inter eos, apud quos vilescant? Temerarium planè Hunnij ingenium, vel ad mentiendum improuidum. *Relat. Hunn. fol. D. 2.*

68. Calumnia est, vllam nedum *extremam impietatem* Catholicorum *in Colloquio detectam esse.*

69. Calumnia est, sæpius à nostris refutata, vllum ex Catholicis *blasphemiam* vllam in *scripturam & spiritum sanctum eructasse.* Sed hoc verum est, Prædicantes turpissimis falsi criminibus scripturam deprauasse, vt patebit capite vltimo.

70 Falsum est, in Colloquio *detectam esse inconstantiam* Iesuitarum *per Antilogias & contradictiones frequentissimas*, vt partim alibi ostendimus, partim ex iis patescet, quæ infra de rebus in Colloquio disputatis dissleremus. *Exam. Hun. Relat. cap. 2.*

71. Falsum est, detectam esse in Colloquio Catholicorum absurditatem, vt patet ex refutatione fictitiorum illorum absurdorum, quæ nobis imponere conabantur Prædicantes. *Exam. Hun Relat. c. 11. 12. 13. 14. & Apolog. pro præf. cap. 13.*

72. Falsum est, à Iesuitis *eiusmodi paradoxa effutita, quorum aliqua ne Pontificijs Doctoribus probari certum sit*; quod & alibi falsum ostendimus.

73. Falsum est, Collocutores PseudoEuangelicos, *infirmitatem suam agnoscere*, ne dum *libenter agnoscere.* Si enim agnoscerent, quomodo veritati adhuc obsisterent? cui adeò manifestè succubuerunt? vt alibi demonstratum est. *Loco cit. Relat. part. 2. cap. 5. & Apolog. cap. 11.*

74. Puerilis iactatio falsitatis & calumniæ est, qua se venditat Hunnius, *ex veris fundamentis, gladio spiritus, quod est verbum Dei scriptum* (Sed hoc non est scriptum) *bestias & furias per Dei gratiam debellasse & domuisse.* Prô Herculeum Thrasonem, pulices fortasse aliquos aut culices dum tergiuersando toties fugam captaret, protriuit.

75. Calumnia est, *in Colloquio detectam esse* Catholicorum *nequitiam*, Sed quæ Hunni? Cur in callum ita mentiris? An vt nequitiæ palmam reportes?

76. Calumnia est, *Papistas erroribus & superstitionibus inhærere*; eò scilicet quòd errores & sacrilegia Prædicantium detestantur.

77. Impudens mendacium est, ex Catholicis *eos, qui Colloquio interfuerũt*, nisi à sua Religione desciscant, *eò grauius, & horribilius iudiciũ in hora mortis & nouissimo die sensuros esse.* Hunnius potius tũ ob hoc mẽdacium, tum quia vel sub obtestatione diuini iudicii prouocat⁹, ausus non fuit

se ad honestissimum certamen Catholicis sistere, Iudicium Dei seuerissimum citius fortè, quàm putat, experietur.

78. Falsum est, Iesuitas vllam ex Colloquio *plagam accepisse.*

79. Falsum est, iam *incredibilem in modum furere, ac sæuire, & æstuare* in Iesuitis *Sathanam.* Imo ipsi vos iam ad insaniam adigunt. Ex scriptis vtrorumque iudicetur.

80. Mendacium est, *Sathanam* in Iesuitis *mendacia in orbem Christianum spargere.* Ex libris iudicium fiat vtri vtros mendacii conuincant.

81. Calumnia est, *Sathanam* in Iesuitis *tumultuari, summa imis miscere, satagere, &c* Hoc nimirum Hunnius facit, qui Pontificem Romanum Iesuitasque toties Diris deuouet. Et quid facto ac reipsa non faceret si posset, qui votis tantum audet?

82. Inane mendacium est, *Sathanam* in Iesuitis *non leuiter inuicto illo & in æternum insuperabili gladio scripturæ Propheticæ & Apostolicæ esse tactum & fractum.* Imò nôris, Hunni, Sathanam in Iesuitis penitus occisum & nullum esse. Credis hoc?

83. Calumnia est, vllum furorem, nedum *immanem furorem Diaboli in suis squamis & membris Gretsero, Tannero, Hekendero, & reliquis per Germaniam Iesuitis, alijsque Doctorculis Pontificijs cerni.* Vestras ipsi quidem calumnias ac mendacia, tum artificiosè ac salsè; tum animosè detegunt, vestrosque insanos furores, ne quem improuidum lædant, compescunt; sed hoc adeo sine furore faciunt, vt vos ob hoc ipsum furere videamini, quod illi vobiscum similiter non furunt.

84. Et exemplum quidem Prędicantici furoris esto hoc adeo impudenter expictum mendacium Hunnii, tum de Catholicis loquens, ait, *eos vlcera Babylonicæ meretricis* (Apostolicam Cathedram intelligit.) *curare cupere, & pudenda eius fœdissimè prominentia ficulneis perizoniis contegere laborare.* Quàm emphatica hypotyposi res pudendas repræsentare potest impurus Prædicans, & quàm simul impudenter mentiri?

85. Falsum est, Hunnium *velle* (nisi animum mutet) *mendacia maligni spiritus & membrum eius valide retundere.* Debebat enim prius à mentiendo abstinere ipse, suaque imprimis mendacia conuellere.

86. Falsum est, Prædicantes *veritatem cælestem pro talento, quod eis concreditum est, asserere, & ad posteritatem, si qua futura est* (inquit Hunnius) *illibatam transmittere velle.* Nam pro hoc statu nec ad veritatem quidem publicè & ex officio docendam, nedum ad falsitatem suam PseudoEuangelicam prædicandum missi sunt. Ille tamen candor in Prædicantibus vehementer mihi placet (quem vt talibus insuetum, pro omine habeo) quod adeo dubiè de posteritate sua loquuntur, (*si qua*

*futura*

*futura est*) inquiunt, tanquam si ipsimet non futuram ominarentur. Et faxit DEVS, vt hoc augurium celerem effectum sortiatur.

87. Calumnia est, *Iesuitas cohærere in impietatis vinculo*; scilicet quia cōcordibus studiis vincula impietatis hæreticæ disrumpunt.

89. Calumnia est, eos *haud aliter cohærere, atq; squamæ in bellua marina Leuiathan &c. Iob. 41.*

90. Falsum est, *decertantem fidem Euangelij adiuuare* illos, qui PseudoEuangelicam doctrinam adiuuant.

91. Falsum est, *sic & hoc sensu loqui Apostolum*;

92. Calumnia est, Relationem Tanneri ex vllis *mendacijs contextam, atque compositam* esse; vt mox planum fiet cap. sequente.

93. Mendacium est, quod præcedens mendacium *promptum foret* Hunnio ostendere: Imo cap. sequente promptum erit mihi ostendere, toties luculenter mentiri Hunnium, quoties me alicuius mendacii arguit. Et si de *sexcentis* illis mendaciis, quæ se ostendere posse iactat, ne sexaginta quidem ex toto libro mihi impegerit.

94. Falsum mendacium est, vlla mendacia in Tanneri libro deprehensurum esse Lectorem, *si Protocollum cum Tanneri libro conferat.* Et quid, mi Hunni, ex Protocollo tuis mendaciis patrocinii adsciscis? cum id iam Iesuitarum incantationibus dementatum, non loquatur, tibi bonum, vt alias ipsemet agnoscis. *Apol. pro præfat. cap. 1.*

95. Calumnia est, me vllas criminationes in meo libro scripsisse, nisi suas intelligat Prædicans, quas descriptas Lectori ob oculos posui.

96. Falsum est, Hunnium iis, quas criminationes esse calumniatur (vanitatis Hæreticæ manifestationem intelligit) in hoc suo Apologetico respondere, cum vix ad tertiam Relationis partem respondeat, nisi fortè eminus quasi allatrando.

97. & 98. Calumnia est, me *tumultuari aduersus sanam doctrinam*, & quidem *contra conscientiam*. Quod nunquam diceret Hunnius, nisi vna cum fronte conscientiam exuisset.

99. Falsum est, Prædicantium, quam ipsi vocant, *sanam*, ego insanam doctrinam, *in sole veritatis expositam esse.*

100. Impia calumnia est, Romanum Antichristum *luce refulgentis Euangelicæ doctrinæ pridem reuelatum esse, &c.*


Habes, mi Lector, analysin Hunnianam præfationis, in centum partim blasphema, partim impia, partim calumniosa, partim alioquin turpiter inofficiosa, (& si quidem in Hunniana via officiosa) falsa ac mēdacia resoluta. Habes simul quod hic præcipuè spectauimus exemplar

plar & formam eius refutationis, quæ ad vniuersum illud Prædicantium scriptum conficienda esset, si quidem illud pro dignitate ac meritis suis tractandum foret. Sed nolo tantum apud me valeat Prædicantium impudentia & vanitas, vt ea ita luculenter recensenda, aut chartam inficere, aut tempus perdere, aut Lectoris beneuolentia adeò confidenter abuti velim. Satis est, velut extremis lineis filum ac stylum Hunniani Apologetici deliniasse. Ex hoc documento Lector iudicium faciat, quantæ falsorum ac mendaciorũ chyliades recensendæ mihi forent, si vniuersum illud Prædicantium scriptum in omnes suas eiusmodi partes resoluere vellem: cum in sola præfatione, quæ ne trigesima quidem pars est, ad reliquũ librum collata, centum iam in numerato Lectori dederim: cum tamen interim luculentiores quasdam calumnias seorsim non computauerim, vt quod Ioannem Decumanum Theologum nominat *Apostatam, cui gemina portio debetur apud inferos*, quod me appellet *vas iræ & ignominiæ*: quod adeò singulari deuotione suum concludat Apologeticum, *toto pectore orans, vt* DEVS *æternus, pater seruatoris nostri* IESV *Christi Antichristum Romanum, luce refulgentis Euangelicæ doctrinæ pridem reuelatum & in plurimorum cordibus occisum; cito per aduentum vnigeniti sui prorsus aboleat, & Ecclesiam Tyrannide Pontificis & Synagoga Romana pressam æterna liberatione beet & exhilaret. Amen Amen.* O suspiria Amon; ô lacrymæ crocodyli; quàm piè, quam suauiter ex oculis Hunnij decurritis? Faxit DEVS, vt eiusmodi lachrymas sol nullus exsiccet, etsi prius fonte lachrymarum, corde scilicet Hunnij, amarissimi fellis vnda manante per iustitiæ solem siccata; ne quod alioqui certissimè futurum est, in ęternum fletum ac stridorem dentium desinant; & tamen nec sic quidem desinant. Amen Amen.

## CAPVT. II.

### *CALVMNIARI PRÆDICANTES, QVOTIES Relationem Tanneri vllius falsitatis arguunt.*

*Hun. præfat. ꝑpa 306.438.*



Vam modestus & consideratus scriptor sit Hunnius, ex eo facile coniicere licet, quod cum Relationem meam plenis buccis, aliquando *sexcentis*, aliquando *innumerabilibus*, aliquando *prope continuis mendacijs, qualia ne Diabolus quidem confingere potuerit*, refertam esse, impudenter clamitet, postea cum ad rem venitur, ne accusando quidem, nisi paucula notare potuit. Quæ tamen ipsa talia sunt, vt non me, sed Hunnium aperti mendacii atque calumniæ reum teneant, vt non in specie omnia & singula (nisi fortè meam quodpiam diligentiam effugerit) quæ Hunnius notauit recensen-

censendo manifestum faciam; vt vel hinc intelligat quisquis est Lector quàm non opus sit Catholicis, suis rebus defendendis, more Prædicantico, mendacii fucum illinere, & quàm è contra parum in Prædicantium scriptis reliquum maneat, si mendacia atque calumniæ detrahantur.

1. Pag. 8. primæ æditionis, siue 14. editionis secundæ dixeram in Relatione, responsum nostrum, ad loca Deuteronomii, datum ab aduersariis, refutari non potuisse. Hoc iam falsitatis arguit Prædicans, eò quod *rationes eius responsi aliquoties* rogati, *post clypeum* (vt ait) *formæ latitantes, principium petere solebamus, arbitrati, nos, qui respondentis partis sustinebamus locum, non teneri ad reddendas rationes responsionis.* Sed apertè mentitur Prædicans, dum asserit responsi rationem non esse redditam; cum tamen ipsemet paulo post infra duas eius responsi rationes in Colloquio redditas, referat & impugnet. De distincto munere respondentis & argumentantis alibi diximus. Illud sanè ridiculum est, quod iam arbitratur, ex liberalitate & humilitate, aut ob meliorem conditionem respondentis, factum esse, quod eis in Colloquio à nostris primùm argumentantis munus delatum est. Erras, mi Hunni, non equidem tãto vos dignabamur honore; sed quia primæ partes sunt accusatoris, & verò vos calumniatores & accusatores estis nostræ veteris doctrinæ, quam de veritate præiudicatam, multis ante vos sæculis pacificè tenebant Catholici: idcirco in omni controuersia Religionis, quam vos primi mouistis, vobis inprimis ac ex instituto incumbit probationis onus; In qua si deficitis, iam hoc ipso Catholici, absque vlla probatione vlteriori, tanquam præscriptionis ac possessionis iure meliores, secundum cuiuslibet fori praxin, causam suam euicerunt. Intelligis hoc Hunni? Et tamen adhuc adeo liberaliter vobiscum egerunt Catholici, vt etiam ipsi postea, onus suæ doctrinæ contra vos probandæ ex instituto, pari vobiscum conditione susceperint; omnibus priuilegiis respondentis vobis ex integro resignatis. Vnde si melior est conditio respondentis, vestra etiam hoc ipso melior erat, quod ea vobis in fine Disputationis, in quo præcipuum est ad victorię momentum, obtigerit. Ineptiæ quidem Hunnij sunt istæ, nulla refutatione dignæ. Sed quid præter Hunnianas ineptias refutandum habemus.

*Relat. part. 1. cap. 4.*

*Pag. 206.*

*Pa. 209. & 215.*

*Relat. part. 3. cap. 1.*

2. Eadem pagina retuleram summatim responsum aduersariorum ad primam, ex illis rationibus quam à nostris datam esse, paulò antè dixeram; idque adeo bona fide, vt nec ipse quidem Hunnius quidquam à me falsò relatum esse dicere potuerit, sed interim ne ipsemet videatur nostram synceritatem tacitè approbare, malæ fidei accusat, quod quæ ipse distinctè ac verbosè de noui & veteris testamenti additionibus dixerit, ego in summam ac compendium cõtraxerim, sensumq; tantum ac vim respõsi Hunniani, breuiter (etsi fideliter) exhibuerim, cum tamen hoc ipsũ

*Apol. pag. 201. & 211.*

C meæ

meæ Relationis institutum, vel ipso nomine compendiariæ Relationis indicatum, redditis causis, in ipsa præfatione Lectori patefecerim; idq; à me non solum in responsionibus aduersariorum, sed etiam nostrorum perpetuò quasi obseruatum sit.

3. In eiusdem rationis à nostris adductæ recitatione, cum per parenthesin interposuissem hæc verba (*vt taceantur multa festiuitates etiam in lege veteri postea primum introductæ*) Hunnius ait, me *fingere hæc etiam* à nostris *in Colloquio dicta esse.* Sed hoc potius placuit ipsi fingere. Nullo enim verbulo aut signo indicaui, id quod dedita opera ad distinctionem ceterorum parenthesi inclusum posueram, in Colloquio dictum fuisse.

4. Eodem capite 4. Relationis, pag 8. siue 15. Commemoratis exemplis, quibus nostri vniuersalem propositionem aduersariorum, de prohibitis quibuslibet additionibus infregerunt, addidi; *nec omnino vllam ex prædictis instantiam potuerunt refellere aduersarij.* Hic prolixè Hunnius commemorat, qua ratione nostrorum illud responsum impugnarit; quasi verò impugnare sit expugnare: cum tamen non solùm eas ipsas ratiunculas abundè dissoluerint nostri (de qua re Lectoris iudicium compello) sed etiam ex iis nonnullas suis meritis in absurdis Prædicantium enumerauerim.

*Apolo. pa. 216.*

5. Eodem capite ac pagina dixeram obiter, aduersarios *in illud Caluinistis affine dogma prolapsos esse, quod infantes etiam sine Baptismo saluentur.* Id à me falso dici putat Prædicans, eo quod ipsi solùm in casu necessitatis absque Baptismo saluari infantes dixerint; cum tamen Caluinistæ absolutè absque tali restrictione hoc asserant. Sed respondetur ob hoc ipsum indicandum à me dictũ esse, eos non in ipsummet Caluinistarum dogma; sed *in affine Caluinistarum dogma prolapsos esse.* Eamque sententiam aduersariorum in ipsamet Relatione mea infra vbi ex instituto de Baptismo paruulorum agitur, explicatè retuli, asserens, aduersarios affirmasse, paruulos *in necessitate*, etiam sine Baptismo saluari. Neque aliter in absurdis Prædicantium hæc à me sententia relata est: vt mera sit calumnia, quando loco citato scribit, me quid ipsi & Caluiniani hac in re tradant, ignorare.

*Relat. part. 2. cap. 7.*

*Exam. Hun. Relat. cap. 15.*

6. Parte prima Relat. cap. 5. pag 9. siue 17. in controuersia de Aarone dixeram, nostros respondisse; *Aaronem nihil definiuisse circa idololatriam, sed vi populi adactũ solum consensisse, & fortè ipso quoq; facto cooperatum fuisse.* Hoc postremum Hunnius pag. 235. à me præter fidem Historiæ dictum asserit, *cum hic ipse præstigiator*, inquit, *cooperationem omnem pa. Protocolli 73. apertè negârit, & per exclusiuam particulam (tantummodo permisisse) ad nudam permissionẽ, ea quæ Aaron fecisse prædicatur, restrinxerit.* Sed Hunnium

nium

nium esse calumniatorem, facile ex ipso Protocollo ostenditur. Nam nostros inter cætera responsa, hoc ipsum etiam non raro attulisse, nimirum, posito eo, quod aduersarii identidem ingerebant, Aaronem quippiam etiam externo opere circa cultum idololatricum peccasse, nihil tamen hoc exemplo infallibili Pontificis authoritati, quam in suis thesibus defendendam suscepissent, derogari, manifestum est. Ita enim inter cętera habent verba D. Gretseri Sessione 2. *Et quidquid exterius fecerit, interius tamen à fide non defecit.* Quam Hypothesin tacitè etiam supponit tertia eiusdem responsio, quæ mox ibidem subnectitur; his verbis: *Tertio nil definiuit Aaron, in illa idololatria. Non dixit: obligo vos ad adorandum vitulũ; hoc faciatis. Nostrum autem est in proposito defendere, quod Pontifices non errent in definiendo è cathedra, vt Pontifices: cuius contrarium exemplo Aaronis, vt dixi, nunquam potest probari.* Eandem responsionem ego quoq; in eadem Sessione indicaui his verbis: *Aaron non tanquam Iudex, non tanquam summus sacerdos, nec ex cathedra decreuit; cum ex toto illius capitis contextu pateat, Aaronem insolentia tumultuantis populi compulsum, id solummodo permisisse; Et esto, quod etiam ipsemet Aaron* (audis, Hunni?) *ab insolente populo coactus vitulum adorasset, minimè tamẽ sequeretur, eum id ipsum definiuisse. &c.* Nec obstat illud ab Hunnio obiectũ: Aaronem *solummodo permisisse &c.* Nam vocula ID in illa oratione mea Sess. 2. *Aaron non tanquã summus sacerdos hoc definiuit, nec ex cathedra decreuit, cum ex toto capitis contextu pateat, Aaronem insolentia tumultuantis populi compulsum id solummodo permisisse &c.* hæc inquam vocula ID à me non refertur ad omnia, quæcunq; circa cultum idololatricum facta sunt, vtpote de quibus minimè tunc sermo erat; sed ad scelus idololatricum, de quo immediatè antea locutus fueram his verbis: *Legit* (Tannerus) *verba capitis & dixit contrarium ex textu colligi, nempe quod populus, non Aaron populo fuerit autor* IDOLOLATRIÆ. Itaq; mera calumnia est, quod Hunnius eam particulam, tam contra sonum, quam sensum verborum, extendere nititur, *ad omnia, quæ Aaron fecisse prædicatur.* Illud tamen interim certum manet, Aaronem nihil etiam opere externo fecisse, intentione ac studio prouehendi idololatricum cultum, vt à me alibi luculenter probatum est.

*Protoc. Lauing. pag. 71.*

*Protoc. Lauing. pag. 73.*

*Prot. Monac. pag. 44.*

*Exam. Hun. Relat. cap. 11.*

7. Eodem capite & pagina meæ Relationis dixeram, *aduersarios collatis viribus conatos esse ostendere, quod populus non fuerit author idololatriæ, sed Aaron.* Hoc Hunnius mendacii arguit; sed qui à me alibi hac in re de mendacio ac calumnia luculenter conuictus est; vbi hanc fuisse Prædicantium sententiam, ex pluribus locis Protocolli apertè demonstraui.

*Apol. pro præfat. cap. 6.*

8. Eodem capite ac pagina Relationis, his verbis alterum nostro-

rum responsum, circa peccatum Aaronis retuli: *Secundo responsum est, Aaronem non fuisse tunc summum sacerdotem, sed Moysen; quod demonstratum est tum ex illo Psalmi 99. Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* Vbi

Apol. Hunn. 137. Hunnius putat, particulam, *Tunc*, à me non esse relatam eò, quò iuxta fidem historiæ referenda erat; vt nimirum sensus sit, Aaronem *tunc*, id est, *viuente Moyse*, non fuisse sacerdotem summum, simpliciter scilicet & absolutè. Ait enim, *certum esse, me particulam*, TVNC, *fraudulenter inserere, & cõtextum sermonis ita formare, ac si in Colloquio dictum sit à Iesuitis, Aaronem tunc non fuisse summum sacerdotem.* Sed respondeo, certum esse, Hunnium etiam hoc loco impudenter calumniari. Nam qua fronte sic loqui audet, quasi particulam illam TVNC, non retulerim ad illud respósum Nostrorum, quando in Colloquio dicebant, Aaronem, *viuente Moyse*, non fuisse simpliciter & absolutè summum Pontificem, cum ipsamet à me subiuncta illic ratio euincat, me particulam illam etiam ad hoc respon-

Protocol. Monacen. pag. 39. Lauing. pag. 64. sum retulisse. Nam certè quidem locus ille ex Psalmo 98. siue 99. quem à nostris in hoc Colloquio adductum fuisse negare non potest Hunnius; aut nihil probat, aut vniuersim probat, Aaronem TVNC, id est, *viuente Moyse*, non fuisse simpliciter & absolutè summum sacerdotem. Ridiculus verò est Hunnius, dum putat dictum illud D. Gretseri; *Aaron viuente*

Protoc. ibid. *Moyse non fuit simpliciter & absolutè summus sacerdos, ridiculum* esse: eò quod hinc sequatur, Aaronem aut *nunquam* fuisse summum sacerdotem, aut primum *post mortem Moysis* fuisse; cum tamen Aaron ante Moysen obierit. Planè enim conceditur Aaronem, vt etiam in Colloquio dictum est, nunquam fuisse *simpliciter & absolutè* summum, scilicet vt Moyse esset superior; licet alioquin fuerit summus *in suo genere*, vt etiam sæpius in Colloquio dictum est. Idque adeo falsum aut ridiculum non est, vt potius contrariam Hæreticorum sententiam falsitatis alibi conuicerimus. Vnde consequitur, verba illa, *viuente Moyse*, non esse addita per modum restrictionis, siue limitationis, quasi videlicet pòst aliquando Aaron fuerit summus sacerdos; sed per modum causæ, siue rationis, propter quam Aaron non erat summus absolutè Pontifex. Quod etiam in aliis eiusmodi loquendi modis sæpissimè vsu venire solet: quales sunt verbi gratia; Iustus Deo protegente tutus est. Sancti Deo viso nihil cum anxietate desiderant amplius &c. Et hac ratione primum illud falsum ac temerarium Hunnii iudicium refutatum est.

Quod verò voculam illam TVNC, etiam referre voluerim ad tempus, quo Idololatricus ille cultus peragebatur: vt sensus sit, Aaronem tunc, cum Idololatria committeretur, nondum fuisse summum sacerdotem, quia nondum fuerit consecratus, plane fateor: idque ipsum à nostris in Colloquio dictum esse, apertissimis indiciis ex Protocollo conuincitur.

tur. Sic enim in eadem Sessione loquitur D. Gretserus, postquam antè dixisset, Moysen fuisse Aarone superiorem, & ordinasse Aaronem: *Nego* (Aaronem) *fuisse summum simpliciter, licet postea fuerit summus in suo genere.* Vbi certè euidens est D. Gretserum, illud *postea* non retulisse ad vitam Moysis, quasi voluerit dicere, *defuncto Moyse*, Aaronem fuisse summum sacerdotem, non solùm quia Aaron ante Moysen obiit; sed vel maxime, quia dicit postea fuisse *summum in suo genere*, cum tamen haud dubiè alioqui dicturus fuisset, Aaronem postea fuisse *summum simpliciter*; quandoquidem causam, cur viuente Moyse non potuerit Aaron simpliciter esse summus sacerdos, eam solum in Colloquio semper assignauerat, quod Moyses esset Aarone maior sacerdos. Restat ergo vt vocula illa, *postea*, ex mente D. Gretseri & contextu sermonis necessario referenda sit, ad ordinationem Aaronis, de qua etiam prius ipsemet D. Gretserus fuerat locutus, vt sensus sit, Aaronem *postea*, hoc est, primum post ordinationem Moysis deinceps factam, fuisse summum sacerdotem, non quidem absolutè summum, sed *summum in suo genere*. Vides, Hunni, responsum illud in Protocollo?

Sed rursus id apertius adhuc patet, ex illis verbis D. Gretseri, quæ in eadem Sessione secunda habentur: *Quod Moyses quoque sacrificârit apertè patet, ex capite 29. Exodi, vbi Moysi à Deo præcipitur: Applicabis & vitulum Dei &c. Et mactabis eũ in conspectu Dei. Et infra: Et offeres incensũ super altare, &c. Et rursus: Et offeres totum arietem in incensum super altare &c. Itaq; hoc Dei praeceptum ipse Moyses opere vtiq; executus est, sicut patet postea Leuitici 8. Vt nullum omnino dubium esse possit, quin Moyses sacrificârit.* Ita D. Gretserus, quem optimè intellexisse; hæc sacrificia à Moyse peracta fuisse in ordinatione Aaronis, apertè patet tum ex eo, quod superius idem cap. 29. Exodi, in quo de sacrificiis Moysis agitur, citauerat ad probandum, Aaronem fuisse à Moyse ordinatum; tum quia Hunnius ipse immediatè post illa verba D. Gretseri confessus est, hoc sacrificandi ministerium obiisse Moysen in ordinatione Aaronis. Ita enim ait: *Quod ad actum ordinationis attinet, Moyses tanquam Propheta Domini sacrificauit.* Cum ergo D. Gretserus dixerit, Moysen *postea primum* sacrificasse, locutusque sit de sacrificiis, quæ Moyses offerebat in ordinatione Aaronis, certè euidens est, eum hoc ipso quoque dixisse, Moysen *postea* primum fuisse ordinatum. Vides ergo, Hunni, quàm temerè ac falso dixeris. 1. eam responsionem in Colloquio è nostris prolatam non fuisse. 2. *Id* (tuum scilicet illud figmentum) *optimè nouisse tum Notarios, tum Reuisores*. 3. Falsò à me hoc responsum *esse relatum*. 4. *Nullum vestigium* eius responsi *extitisse in Protocollis omnium quatuor Notariorum*. 5. Me impudenter ausum fuisse petere, vt hoc responsum Protocollo insereretur: cum equidem solummodo

postulârim, vt quandoquidem eo tempore nostrorum sermones ad calamum non fuerant dictati, ideoque minus exactè in Protocollum relati (quod etiã in eius subscriptione testati sunt Notarii) id ipsum paulo explicatius poneretur; quanquam ne hoc quidem impetrare potui aduersariis adeo iniqua obstinatione resistentibus (quos nimirum ipse numerus personarum reuisionis negotium tractantium, ex sua parte multò auctior reddidit animosiores) vt nisi Catholici totum reuisionis negotium in cassum recidere voluissent, cùm hic, tam alibi nonnunquam obstinate aduersariorum contentioni necessariò cedendum duxerint.

9. Eadem parte Relationis capite 5. dixeram Prædicantes, in tertia Sessione, *cœpisse calumniari Papam, & quærere, vnde constet, quod errare non possit, cum omnis homo sit mendax, an sit duplex homo, an simplex, si aliud sentiat corde, aliud ore decernat, Hypocritam fore pessimum.* Hæc ait Hunnius, ex sua parte *tempestiuè, debitoque loco quæsita*, ex occasione eorum, quæ dixerat Gretserus, Pontificem nimirum errore quidem personali & priuato errare posse, non autem iudiciario, definiendo ex cathedra. *Hic rectissimè quæsitum fuit*, inquit Hunnius, *planè ex instituto: Quis dicet populo Christiano an Pontifex ex cathedra definiat vt Pontifex, an vt priuatus.* Sed extra chorum saltas, Hunni; non hoc dixeram, te extra institutũ fecisse, sed illud quod tu, qui tuam conclusionem probare debebas, probationes aduersæ conclusionis à respondentibus immaturè poposceris; quod illas quæstiones nugacissimas addideris, an sit *simplex homo, duplex &c.* An hæc non extra propositum, ac solo calumniandi & tergiuersandi studio à te fuerint dicta, *iudicent omnes, qui sensu communi non prorsus sunt orbati*, vt tecum, sed veriùs loquar.

Relat. pag. 10. vel 18. Apolog. pag. 235.

10. Adduxeram eâdem parte 1. cap. 5. Relationis per modum ἐπεξεργασίας, ad explodendum illud Hunnij Iudaicum pronunciatum; *cathedram Moysis non esse temporalem, sed æternam*; illam vulgatam scripturæ sententiam, non addito tamen scripturæ loco; *Propheta & lex vsque ad Ioannem.* Hic Hunnius se criminandi occasionem nactum ratus ait, me locum illum scripturæ mutilasse, cum apud Matthæum 11. cap. legatur addita particula *Prophetauerunt*, quam à me prætermissam subdolè, calũniatur, vt locum à vero sensu dimotam meo instituto accommodarem. Sed rursus de calumnia apertissimè conuincitur. Nam etsi apud Matthæũ addita legatur illa particula, *Prophetauerunt*, apud Lucam tamen ca. 16. non additur, sed totidem planè verbis hæc ab eo sententia, vt etiam à sanctis Patribus sæpenumero refertur. Et verò non reiectis interim aliis huius loci explicationibus, eo etiam, quem intenderam, sensu, locum hunc aptissimè explicari, author inter alios vetustissimus est Tertullianus cuius hæc sunt verba: *Vetera transierunt secundum Esaiam, & nouata iam, noua-*

Relat. pag. 10. siue 18. Apolog. pag. 248.

Tertul. lib. de pud. citia circa initium.

tia

*tio est secundum Ieremiam, & obliti posteriorum in priora porrigimur secundũ Apostolum, & Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, secundum Dominum &c. Onera enim legis vsq; ad Ioannem, non remedia, operum iuga reiecta sunt, non disciplinarum &c.* Eodem modo locum illum S. Lucæ intellexit Irenæus Tertulliano vetustior, cum sic scribit: *Quoniam igitur à Moyse Lex inchoauit, consequenter in Ioanne desinit. Ad impletionem eius aduenerat Christus, & propter hoc Lex & Prophetæ, apud eos, vsq; ad Ioannem.* Omitto recentiores, qui locum illum sic interpretantur. Certè contextus ipse verborum apud S. Lucam eum sensum non obscurè insinuat, quando mox legi opponitur Euangelium, his verbis: *Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem; ex eo regnum Dei euangelizatur &c.* Sed de hac calumnia Hunnij satis. *Irenaus lib. 4. cap. 8.*

11. Eodem capite & pagina Relationis dixeram, falsò Hailbrunnerum in Colloquio dixisse, ex nostra parte negatum fuisse, per fermentum Pharisæorum intelligi etiam doctrinam; cum solummodo negatum fuerit, intelligi doctrinam publicam &c. Hoc à me falsò dictum ait, Hunnius; Sed rursus manifestissimè calumniatur. Verba enim Hailbrunneri Sessione tertia sic planè habent: *Vnum tantum exemplum repeto ex multis, ex quo omnes animaduertere possunt, vestras responsiones à nobis sufficientissimè refutatas. De fermento Pharisæorum & scribarum. Cum vos asseuerassetis, dictum illud Matthæi decimosexto non de doctrina, sed de moribus esse accipiendum, nos ipsius Euangelistæ verbis ostendimus, de doctrina esse intelligendum.* Quod etiam antea Sessione secunda dixerat. Quid quod ipsemet Hunnius etiam post Colloquium hoc idem falsi crimen admisit, non solùm in sua Relatione, vt alibi notaui, sed etiam in suis notationibus, vbi ait, *turpiter Gretserum contra textum sole clariorem dixisse, appellatione fermenti Pharisæorum, à quo Christus cauere iusserat discipulos, NON intelligi doctrinam Pharisæorum, sed vitiosos DVNTAXAT mores.* Quod est crassissimum mendacium, cùm nusquam absolutè negauerit D. Gretserus, per fermentum intelligi doctrinam, sed solum intelligi doctrinam publicam, qua ex cathedra quippiam definierit, admittens interim à CHRISTO notatam fuisse doctrinam eorum priuatam, vt ipsemet Hunnius iam tandem agnoscit: qui proinde nequaquam à mendacio vindicauit Hailbrunnerum, sed seipsum potius bis eodem crimine turpiter obstrinxit. De qua re ipse D. Gretserus plura.

*Apolog. 249. Protoco. Monac. Editionis 2. pag. 50.*

*Protoco. Monac. pag. 35.*

*Notat. Hun. fol. a. 4.*

*Gretſ. Digreſ. 2. contr. Hun. Relat. pag. 21. vel 22.*

12. Dixeram part. 1. ca. 6. Relationis, *rectissimè fecisse electores & Principes Imperij, qui ex sua ditione profligarũt Hæreticos, & imprimis eos, qui contra ipsum scriptum DEI verbum, solum scriptũ Dei verbũ esse vnicã regulam omniũ controuersiarũ Religionis pertinaciter asserunt; nec tamẽ vllo vel in speciẽ*

*proba-*

Apol. pa. 275. *probabili argumento probare possunt &c.* Hoc postremum, ait Hunnius, *Tannerum contra suam conscientiam mentiri.* Sed Homo nullius conscientiæ cur meam conscientiam, quàm non nouit, suo mendacio impetit? Certè ex ipso Colloquio satis enituit, quàm sint futiles, friuolæ næniæ aduersariorum, quas ad errorem illum comprobandum adducere solent. De qua re iudicium Lectoris fidenter exposco.

13. Eodem capite cum secundum argumentum aduersariorum omnibus suis numeris absolutum integrè retulissem, dixi *minorem* eius argumenti à nostris in Colloquio *non fuisse negatam.* Hoc esse mendacium calumniatur Hunnius. Sed verissimum esse, quod dixi, nostrosq; nec apertè, (quod ipsemet Hunnius fatetur) negasse; nec ex consequenti debuisse, aut potuisse negare minorem illam propositionem palam ostendi in Apologetico præfationis. Illud tantum hic addo, non nostros mutilasse in Colloquio illam propositionem minorem, seu maiorem eius præambulam, vt in suo examine præfationis calumniabatur Prædicans, sed Hunnium cum suo Symmysta eam per turpissimum falsi crimen corrupisse. Nam in suo Apologetico pag. 264. ait, *sic habere* minorem suam illam propositionem; *Pij Reges & Principes in veteri testamento reformationes suas ex solo verbo Dei scripto, & secundum solum verbum Dei scriptum instituerunt.* Vbi duplex falsi crimen committit Prædicans; primum, cum ex propositione disiunctiua facit copulatiuam, cum in vtroque Protocollo habeatur; *ex solo verbo Dei scripto,* VEL, *secundum illud.* Alterum est, dum in illa oratione; *& secundum solum illud*, asserit particulam, SOLVM, quæ tamen in nullo Protocollo habetur, & addita sensum longè diuersum efficit. Idem falsi crimen committit Hunnius, pag. 268. vbi syllogismum illum velut triũphantẽ sic refert; *Si pij reges suas oẽs reformationes ex solo Dei verbo scripto, & secundũ id instituerunt, sequitur q̃ id pro norma vnica Religionis & cultuum in suis instituendis reformationibus agnouerint: sed illi suas omnes reformationes instituerũt ex solo Dei verbo scripto: Et secundum illud* SOLVM; *Ergo agnouerunt verbum scriptum pro vnica norma religionis & cultuum.* Et addit Hunnius, maiorem euertere nos *non potuisse*, minorem *concessisse.* Vbi vix quinque lineis, quinque turpissima falsi crimina cumulauit Prædicans. Primum, dum ex maiore propositione disiunctiua fecit *copulatiuam*; voculam, Et, supponens, pro particula VEL. 2. Dum hoc ipsum fecit circa propositionem minorem. 3. Dum in eadem supposuit voculam SOLVM, vt paulo superius explicatum est. 4. & 5. dum ait, maiorem non potuisse euerti, minorem verò concessam fuisse; cum tamẽ nec maior nec minor illa enunciatio in Colloquio proposita, ac proinde nec à me relata fuerit. Quod si hoc modo propositæ fuissent, tunc sanè minor, vt quisque non stultus facile intelligit, nunquam in omnem æternitatem fuisset

Apol. pa. 260.

Apol. præfat. cap. 4.

ſet conceſſa. Eodem modo ex duabus illis enunciationibus diſiunctiuis in ſua verſione germanica, copulatiuas fecit Gauglerus, turpi ſanè ac inexcuſabili fraude, niſi quod eius generis hominibus eiuſmodi artes vitio nō dantur, ſed huius fraudes iam detexit Andreas Montanus. Atq; hoc nimirū eſt Relationem Tanneri de mendacio conuincere. Cætera quæ de iiſdem propoſitionibus hic nugatur Hunnius, refutata ſunt à me in Apologetico præfationis. *Apolog. præfat. cap.4.*

14. Cap. 7. Relat. part. 1. cum argumentum tertium aduerſariorum omnibus partibus integrum & abſolutū, ſimul etiam, quid adhoc in Colloquio reſponſum eſſet, (verè, nec Hunnio quidem abnuente) retuliſſem; infra deinde, vt aduerſariorum dedecus, ex eo argumento reportatum magis patefacerem, eandem aduerſariorum propoſitionem, de qua erat controuerſia, ſummatim, addita etiam nonnulla explicatione addideram, his verbis: *Qui puniuit eos omnes, qui quacunq; intentione, à ſcripto Dei verbo diſcedunt, hoc eſt legem Dei ſcriptam tranſgrediuntur, is perſpicuè demonſtrat, legem ſcriptam eſſe vnicam normam.* Id verò iam Hunnius fraudulenter eſſe factum narrat, tum quod noſtram explicationem, vt ait, ita poſuerim, tanquam ſi aduerſariorum ipſamet verba eſſent; tum quod propoſitionem illam hac ratione in alium ſenſum transformauerimus, nunquam, vt ait, negandam, ſi integra permaneat. Sed vbique impudens eſt Hunnius. Interiecta explicationis verba noſtra eſſe, non aduerſariorum, ſatis ipſo verborum contextu indicauimus, per voculas illas, *hoc eſt, &c.* Cum præſertim paulo antea propoſitionem illam ſine explicatione addita retulerim. Explicationem autem veram eſſe, quiuis intelligit, qui latinè intelligit. Quis enim neſcit, *recedere à verbo Dei*, ſiue *declinare ad dexteram & ſiniſtrā*, eſſe idem, quod tranſgredi verbum Dei? Annon obſecro qui à ſemita præſcripta diſcedit, tranſgreditur ſemitam; & qui tranſgreditur, annon diſcedit? ſtolidus planè eſt Hunnius ſi aliud ſentit. Sed ait: *Noſtra propoſitio non vult eos ſolum eſſe reprehenſos à Deo & punitos, qui à lege deflectunt, tranſgrediendo illam facto palam contrario, ſed qui à verbo ſcripto quocunque modo, & quacunq; tandem intentione ſic recedunt, vt ſaltem extra id verbum aliquid in rebus fidei & cultus attentent aut innouent.* Sed hoc ſcilicet eſt, quod dixeram Hunnium vigilantem ſomniare; nec ſcire, quid dicat, aut quænā ſint receptiſſimarum phraſium notiones. Primùm enim ego minimè dixerā, *diſcedere à verbo Dei*, eſſe ſolummodo *facto palā contrario Dei verbum tranſgredi*, ſed generatim, *tranſgredi*. Accidit autem tranſgreſſio generatim, non tantū in legem facto palam contrario *cōmittendo*, ſed etiam *omittendo* actionem à lege præſcriptam. Deinde verò quid illud eſt, à verbo ſcripto recedere, eſſe, quippiam extra illud in rebus fidei & cultus attentare, aut innouare? Vis dicere, Hunni, idem eſſe, quod extra

*Relat. pag 14. vel 16.*

*Apol. pa. 289.*

illud quippiam quacunque demum authoritate traditum, aut constitutum credere, aut circa cultum facere. Sed deliras, paradoxa, & contra scripturam loqueris, absurdus es. Quod si tamen ita voluistis ineptire, verbaque illa cōtra receptissimum modum loquendi vsurpare, cur non declarâstis hanc esse verborum vestrorum sententiam: cum præsertim vos latere non potuerit, ea verba à Catholicis hoc sensu non solere accipi? An Catholici odoratu percipere poterāt, adeò vos delirare voluisse? et si persensissent, nulla à vobis declaratione addita, an ideo tenebantur cōtra receptissimum loquendi modum, vobiscum pariter delirare? an vsitato & recepto etiam in scripturis more & loqui, & loquentes intelligere non poterant ipsi, ego verò etiam interpretari? Vide, Hunni, quàm impudenter calumniatus sis meam interpretationem, pro qua si tua in Colloquio substituta fuisset, satis intelligis ipse, quid de tua minore factum fuisset. Quod verò addis, si propositio illa integra relinquatur, negari eam à nobis non posse, falsissimum est, & toties falsum, quoties asseris: cum in ipsomet Colloquio sic integrè accepta negata sit, eamq; sic negatam esse, expressè & apertè, (quod tu male dissimulas) à me in ipsa Relatione sit enarratū. Sed de hac tua malitia plurib. à me in alio Apologetico iā actum est.

*Apol. pro Præfat. cap. 7.*

15. Eodem capite Relationis dixeram, *aduersarios tandem aperta fugā initâ, & propositione illa vanissima vento credita, ad alia se argumenta, quibus thesin suam principalē probarent, contulisse* Hoc verò dolet Hunnio, ideoq; mendacium vocat. Sed verissimum id esse, ex eo satis colligitur, quod cū hoc ipsū in Colloquio à me disertè notatū fuisset, aduersarii nullo verbo repugnârunt. Certè quidem ex Protocollo patet, tam Hunnium, quàm Hailbrunnerum, à probandâ illa propositione (nostris probationem frustra vrgentibus) digressos, clanculum & quasi aliud agendo noua argumenta ad thesin principalem probādam proponere orsos fuisse. De qua re iudicium Lectori liberrimum relinquimus.

*Apol. pag. 300.*

*Protoco. Monac. pag. 77 & 78.*

16. Eadem parte primâ, cap. 8. relatis nostris responsionibus, adieceram, *eas nulla vel in speciem probabili ratione potuisse refutari*; Simul etiam Lectoris iudicium ex Protocollo compellans. Hoc falsitatis arguit Hunnius. Credo. Quis enim vult victus videri? Sed annon id verè à me dictum sit, rursus ex Protocollo liberè iudicet Lector.

*Relat. pag. 17. vel 33.*

*Apol. p. 19. 312.*

17. Parte secunda Relationis capite tertio, dixeram, Hunnium iam alias in prima Sessione concessisse, etiam in veteri testamēto, *ex traditione, non autem ex sola scriptura dignoscendum fuisse, quòd hic vel ille liber scripturæ, sit Canonicus. Hoc*, ait Hunnius, *mendacium esse*: se enim in Colloquio *constanter distinxisse*, inter duas illas quæstiones, an liber sit Moysis verbi gratia, & an sit Canonicus. Sed hoc mendacium Hunnij iam alibi prolixè ac euidenter refutaui. Certè quidem hoc loco satis vel ex eo redarguitur, quod

*Relat. pag. 31. vel 61.*

*Apol. pa. 363. & 481.*

*Apol. Præfat. cap. 9.*

quod in illa ipsa prima Sessione D. Gretserus, non solum illam traditioné veteris testamenti obiecit Hunnio, q̃ libri Moysis sint Moysis, vt iam significat Hunnius, sed ét quod sint *Canonici*. Sic enim legitur in Protocollo tertia illa traditio veteris testamenti à Doctore Gretsero producta *libros Moysis esse Moysis, esse* CANONICOS, *esse verbum Dei.* Ad quã Hunnius sine vlla distinctione semel ac simul respondit: *Libros Moysis esse Moysis, conceditur esse hanc traditionẽ testimonium Ecclesiæ Dei &c.* Et mox infra; *nõ autẽ est quæstio,* inq̃t, *de traditionib. de quib. vtrinq; inter nos conuenit &c.* Vbi tua illa distinctio, Hunni? quid, q̃ ne iam quidem asserere audes, hoc de quo agimus, libros scilicet esse Canonicos, ex sola scriptura, sine aliqua infallibili traditione, sufficienter posse cognosci; quidquid alioqui de suis illis critiriis ineptiat, de quibus alibi. *Protoco. Monac. pag. 23. & 24.* *Exam. Hun. Relat. cap. 18.*

18. Eadem parte secunda, capite secundo, relato aduersariorum responso, quod ad secundum argumentum Catholicorum attulerant, hanc demum ad Lectorem Apostrophen subieci: *Audis plane Lector, vocem impiorum apud Iob ca. 22. Quid enim nouit Dominus? & quasi per caliginem* (in hac vita) *iudicat, nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli ambulat. Nonne hæc ipsissima Sectariorum sententia? &c.* Hæc verba adeo stomachum mouerunt Hunnio, vt nec verba quidem satis idonea inueniret, quibus suũ dolorem exprimeret. *Sathanam, Diabolum,* inclamat: Sed non satis hoc. Etiam nouata voce, *diaboliζare* me ait. Quid enim dicere aliud poterat insanus furor? Annotat quoq; in margine, *particulam* (in hac vita) *me verbis textus inseruisse:* quasi nimirum scripturam ex Iob allegatã corruperim. Sed hæc apertissima calũnia est, & possem quidem citra vllam iniuriam Hunnio suam phrasin reponere, dicendo: *Mentiris diabole:* Sed quia sic planè sentio, diabolum tam incondite non mentiri, idcirco satis est, simpliciter dicere Hunnium mentiri. Nam qua ratione scripturã corruperim, qui verba illa explicationis causa addita, vt mea, non scripturæ esse nôssent omnes, non solùm parenthesi, sed etiam distincto charactere à verbis scripturæ in vtraq; editione Relationis consultò seiunxi. Turpes profectò, Hunni, sunt tales calũniæ, & tuæ causæ plus quã credis perniciosæ. Sed quid illud? quod ét voluit Prædicans hoc artificio suæ calumniæ speciem aliq̃ probabilitatis cõciliare; mea scilicet illa verba, quę, vt dixi, in vtraq; editione relationis diuerso charactere à scripturę verbis distincta sunt, eodẽ, cum scripturæ verbis, typo Lectori exhibendo. Certè hoc nisi forte Typographi lapsu pręter Hunij voluntatẽ acciderit, ꝓbare nulla ratione possũ. Ad rem verò ipsam q̃ attinet, Prædicantes talem planè in Ecclesia hierarchiã constituere, quæ non modo homines necessariis salutis mediis destituat, sed Deũ quoq; ipsũ paternę suę erga Ecclesiam ꝓuidentiæ laudib. spoliet, tũ eo ipso Relationis loco satis demonstratũ est *Relat. pag. 29. vel 56.* *Apol. pag. 355. & 356.*

Hunnio vim argumenti nostri non attingente &c. Tum in Apologetico Præfationis capite quinto prolixè ostensum est.

19. Eadem parte cap.10 responsum quoddam aduersariorum, quod ad nostrum vltimum argumentum attulerant, exagitaueram, his verbis. *Aut eône insaniæ prorumpere ausit quispiam, vt sibi persuadeat, nullam talem iudicandi authoritatem in Ecclesia esse constitutam, cuius sententia medio, aut modo aliquo ordinario in omni fidei controuersia à quolibet acquiri & addisci possit &c.* Hîc ne tacitè se reum confiteatur Hunnius, ait, *se id nec dixisse nec somniasse saltem.* Sed etsi nec ego aliter, nisi vt ex illorum responsis consequens, id eis exprobrârim, non potest tamen Hunnius, quidquid tentet, eam absurditatem à se amoliri. Quod enim secundum Prædicantes ordinarium est illud medium exquirendi, in omni controuersia, veram fidei sententiam? Respondet modò, esse Doctores ac ministros verbi. Benè quidem imprimis, quod priuatæ orationis, meditationis, & lectionis medium sufficiens non esse agnoscit: sed ineptè tamen in eo, quod ne sic quidem mediũ aliq; ordinariũ assignat, quo fidelis quilibet, in omni controuersia Religionis veram fidei sententiam sine errore intelligere queat. Cum enim ipsemet fateatur, ministros illos non habere infallibilem docendi, scripturasq; interpretandi authoritatem, quomodo ex eorum institutione siue doctrina certus quispiam de fidei veritate reddi possit? Neque enim loquimur de quacunque priuata ac fallibili instructione, ad quam pertinet illud, quod ex Apostolo producit Hunnius, cum scilicet viri suas mulieres, aut etiam (quod apud Prædicantes non infrequens est) mulieres suos viros priuatim instruunt, cum & vir tamen & mulier erroribus æquè obnoxii sint: sed de publicâ authoritate docendi, qua velut medio quodam ordinario fidelis quilibet, in quouis fidei dubio certus omnino reddatur, de vera fidei sententia. Talem Prædicantes dum non ponunt absurdi sunt, dum negant impii, ac in Deum blasphemi, vt ibidem in mea Relatione, atque alibi iam fusius ostensum est.

*Apolog. Hun. pag.427.*

20. Dixeram cap.9. parte prima Relationis, Prædicantes *sua commenta ex propositâ sibi chartâ plerunq; prælegisse.* Hoc mendacium vocat Prædicans, ratus hanc suam calumniam satis ex eo firmiter probari; quod, loquendo de secundariis eorum probationibus ad principalia argumenta firmanda ab eis productis, atq; de responsis eorum ad nostra argumenta, (cum, vt ait, præuidere non potuerint ipsi, quid nos aut responsuri essemus, aut propositurі) ea quidem ex dictatis recitare nequiuerint. Sed hoc tanti non est, vt contra publicam testificationem ac notitiam eorum qui Colloquio interfuerunt, vim habere possit. Nam quod attinet ad secundarias eorum probationes, constat ex Protocollo, eos non semel probationes eiusmodi prolixissimas attulisse, non expectato vllo nostrorum respon-

*Relat. pag.18. vel 34.*
*Apol. pa.432.*

responso, vt taceam, satis ab ipsis verosimiliter coniici potuisse, quid à nostris respondendum foret. Quod si hoc fortè aliquando non præuiderant, vt accidit circa tertium ipsorum argumentum Sessione quarta productum, tunc sane ex ipsis eorum sermonibus patebat facile, eos præter spem ac opinionē suam extra chartā loqui debuisse. Ita miserè incespitabant, ac nusquam nō impingebant, vt à me in Relatione notatū est. Quid, quod in eiusmodi angustias coniecti, mox omnes angulos excutiebant, vt à proposita materia digressi, rursus ad liberæ declamationis campos suamque papyrum, velut ad tutissimum miserorum asylum redirent, vt ibidem accidit. Eiusmodi etiam digressionibus identidem studebant in suis responsionibus ad argumenta nostra promendis, vt alibi à me singulatim ostensum est, ad nihil magis attenti, quam vt ne intra cancellos ac disputandi metas coercerentur. Itaque nihil planè obstat, quin quod nôrunt summi & infimi de consueta lectitatione Prædicantium, etiam in posterum verum censeatur. *Sess.3. Sess.4 &c. Vid. Rela. parte.3. cap. 2. Relat. part. 1. cap.7. Relat. part.2 Et Exa. Hu Relat. cap. 4 & 5.*

21. Pagina 433. sui Apologetici Hunnius mendacii arguit Iesuitas, eorumque asseclas, dum Prædicantes accusant, quasi ita ad calamum dictauerint, *vt in scholis, vbi vnum itemque inter dictandum bis ternè repetitur.* Sed quod de bina & terna repetitione nugatur Prædicans, Iesuitæ nunquam dixêre, satis in proposito est scire, eos ita locutos esse, vt etiam verbo tenus omnia excipi à Notariis possent, quod factum esse Hunnius ipse fatetur: cum satis alioqui manifestum sit, ne Gauglerum quidem, quem alioqui inter cæteros à celeritate semper commendabant, artem illam veterem tachygraphorum calluisse. Sed de hac re etiam alibi non semel à me actum est. *Exam. Hun Relat. cap.23*

22. Parte secunda Relationis cap. 3. dixeram, Hunnium in Colloquio *contra suamet pronunciata, contra conscientiam, contra apertam veritatem asseruisse*; Euangelium S. Matthæi esse Matthæi, & Canonicum, demonstrari ex visione quatuor animalium, inscriptione, &c. Negat Hunnius; sed verissimum id esse luculenter alibi ostendimus non modo absurditatem eius assertionis demonstrando, sed etiam multis Protocolli testimoniis palam patefaciendo, Hunnium sæpius in Colloquio fassum fuisse, eam esse traditionem Ecclesiæ. *& Apolo. præfat. cap. 5 Exam. Hun Relat. c. 18. E Apol. pro præfat. cap. 11.*

23. Dixeram parte 1. cap. 1. *existimari vix potuisse, quantum quidem ex aduersæ partis scriptis & rescriptis colligere licebat, Prædicantes ad disputandum adduci posse.* Hoc etiam mendacium vocat Prædicans, sed verum esse nos alibi, partim etiam supra cap. 1. satis ostendimus. *Exam. Hun Relat, cap. 2.*

24. Dixeram in Colloquio ad comprimendam aduersariorum impudentiam ac tergiuersationem, *Christum & Apostolos semper illum modum disputandi in forma* ( quoad id scilicet, de quo tunc agebatur, nimi- *Sess. 13. pag. 291.*

Apol.pa.454. rum vt aduersarius respondentis partes sustinens disertè ac sine tergiuersatione respondeat) *obseruasse, quando habebant negotium cum contumacibus*. Hoc quia intelligere nolebat Hunnius, ideo tanquam mendacium calumniatur. Sed iam dictum illud eo sensu quo dixi acceptum, ne calumniatoris quidem dentem extimescit.

Relat.pag.48. vel 95. Rom. 14. Apol.pa.465. 25. Tertia parte Relationis cap.2. dixeram, me in Colloquio *locum illum Paulinum: Quod ex fide non est, peccatum est, vt impertinentem reiecisse, vel potius obiter quidem* (vt eo tempore quando argumentantis munus sustinebamus par erat) *sed solide declarasse*. Hoc pernegat Hunnius; me enim eum nec obiter quidem explicasse. Sed ex Protocollo falsitatis redarguitur. Cum enim Hunnius impudenter dixisset, me loco Paulino constitutum teneri, mox hæc verba subiunxi: *Quasi verò tenear. Populus in dubio debet stare sententiæ magistratus deposito dubio*, significans videlicet, eo loco non prohiberi, ne quis in re dubia, superioris aut cuiusuis alterius sententiam sequatur, deposito dubio, sed solum ne quis agat quidpiam contra suam conscientiam. &c. Pro qua, *fidem*, eo loco accipit Apostolus. Quę explicatio & per se verissima, & loco accommodatissima est, vt omnino hinc pateat, abs re prorsus & extra propositũ eum locum à Prædicãte nobis obtrusum esse. Igitur quidquid Hunuius in Colloquio (vt videlicet respondendi onus, quod ei tunc incumbebat excuteret) impudenter clamare perrexerit; *Responde ad dictum Pauli*; solutio illa Protocollo breuiter notata, sed procul dubio in Colloquio fusius exposita, quod ipsamet prętermitionis nota, *&c.* in Protocollo meis verbis addita declarat, firmissima subsistit. In eo verò turpem impostorem etiam hoc loco agit Hunnius, dũ penitus in vero statu quæstionis, ita recitat meam sententiã, tanq̃ si absolutè dixerim in Colloquio, subditos debere sequi erroneã sui magistratus sententiã, *et refragrante conscientia*, cum tamen expressè addiderim restrictionẽ, videlicet, *in dubio*; siue quandiu non constat subdito, sententiã sui legitimi superioris erroneam esse. Nec hoc dixi faciendum esse, *refragrante conscientia*, sed iuxta rationabile ipsius conscientiæ decretũ, abiecto dubio. Atq; hoc videlicet est, scribere Hunnio Apologeticũ contra turpissima mẽdacia, mendaciis scilicet ac imposturis turpissimis chartã infarcire.

Sess.9. Protoc. Monac.p.211.

26. Sed & illud quoq; circa cap.10. primæ partis meæ Relationis improbat Hunnius, quod referendis scripturæ noui testamenti locis ab aduersariis ꝓductis, aut alias cõclusiones subiunxerim, quã intenderint aduersarii, aut si easdẽ, *non tamen candidè positas*, inquit, hoc est, non in longũ & latum more Prædicantico protractas. Sed respondeo ad primũ, me cor ac intentionẽ internam aduersariorum scrutari non potuisse. Quocirca cum illi sæpenumero loca eiusmodi sine forma, sine Consequẽtię specie, ac ꝓinde et sine cõclusione addita ꝓduxerint, apposuisse me cõclusionẽ,

quam

quam ex rerũ circumſtantiis, & propoſito aduerſariorum themate colligere poterã; & vt in hoc min⁹ à ſcopo aberrarem, ſæpe duas, aut tres concluſiones ſub diſiũctione appoſuiſſe. Quod ſi verò nec ſic quidem ſcopũ attigi (ꝙ tamen non puto) id aduerſarii ſuæ informi diſputãdi rationi imputent, & ſibi nihilominus tamen perſuadeant, reſponſionem noſtram, quibuſcũq; demum aliis Conſequentiis, ſi quæ aliæ ex adductis locis, cõſtructæ ſunt, ſatisfacere poſſe. Ad ſecundum reſpondeo, mihi veluti compendiariam Relationẽ ſcribenti propoſitũ fuiſſe, rem ipsã breuiter oculis legentium ſubiicere. Itaq; ſi eaſdem, quas aduerſarii, concluſiones poſui, non habent ꝙ à me in hoc genere præterea iure exigant. Hinc ẽt mihi curæ non fuit prolixè referre, qua occaſione quiſq; locus ab aduerſariis product⁹ fuiſſet, cum hoc parũ rem ipsã attingeret, & ob confuſiſſimã aduerſariorum diſputandi rationem ſæpe ne Oedipus quidem diuinauerit, qua occaſione, quoue ordine locus quiſque productus ſit.

Atq; hæc ſunt, in quibus me aut etiam alios Catholicos, ac inprimis Relationem meam falſitatis culpat Prædicans; ſatis illa quidem multa per ſe, ſi verè falſa eſſent, ſed ad impudentiſſimã illam Hunnij iactationẽ pauca, ſecundum rei etiam veritatem nulla, cum manifeſtum ſit, toties falſum commiſiſſe Hunnium, quoties me alicuius falſitatis arguit. Quod ſi omnia ipſius falſa colligere voluiſſem, certè non ſexcentorum modo, vt de mea Relatione impudenter iactat, ſed prope ſex millium numerum numerando complere potuiſſem; Vt ex primo capite ſatis intelligere prudens Lector poterit.

Sed hoc nimirum cibo paſcitur quintum Euangelium, hac eſca pingueſcit, dilatatur & incraſſatur Prędicantium Genius, cui ſi mentiendi ac calumniandi facultas adimatur, iam è veſtigio, tam cathedræ eorum conticeſcant, quam typographiæ conquieſcant.

## CAPVT III.

### *QVAM TVRPITER PRÆDICANTES IN ſuo Apologetico ſtatum quæſtionis identidem peruerterint.*

NVllum eſt in omni controuerſia certius ferè ac deſperatæ cauſæ maius indicium, quam cum pars litigans propoſitum controuerſiæ thema deſerit, ſtatumq; in alios terminos tranſuertere nititur. Accusâſti, verbi gratia, Petrum homicidam fuiſſe; ſed dum quæſtio in iudicio ventilatur, ab hac accuſatione deſiſtis, & probare ſollummodo niteris, Petrum cædi aſtitiſſe, quod ipſemet Petrus nunquam negauerat: ecce iam tergiuerſator & calumniator habeberis. Et merito. Nam hoc ipſo certiſſimum iudici

dici

dici præstas iudicium, te initio falsam accusationem esse molitum. Consimile planè iudicium de nostris quoque aduersariis ferendum est, qui circa grauissimas religionis controuersias non modo in ipso Colloquio primarium totius controuersiæ statum turpiter conuellere studebant, vt capite sequente ad oculum ostendetur; sed etiamnum in suo Apologetico adeò frequenter extra chorum saltitant, vt in paucissimis quæstionibus suam sententiam, inuiolato quæstionis statu, tueri conentur, quod sequentibus exemplis manifestum fiet.

1. Obiecerant nostri sæpius traditionem de libris Canonicis ad cõprobandũ aliquid extra scripturam necessariò credendum esse. Eamq; ét in mea Relatione contra aduersarios sæpius vrseram, præsertim parte prima

*Apol. pa. 220.* cap. 4. Hic Hunnius, *Quod autem Tannerus* inquit *à concessis ad non concessa tam imperite procedit, inscitiæ ipsius est tribuendum. Qualis enim est consecutio: testificatio Ecclesiæ de libris Moysis est admittenda; admittenda igitur quoque traditio de inuocatione Sanctorum, cultu imaginum, communione sub vna specie. &c.* Sed non hoc agebatur, Hunni, non hoc inferebatur, vt ipse nosti, sed iuxta propositum Disputationis thema hæ generales consequentiæ factæ sunt: ergo in materia fidei non omnis additio ad scripturam est prohibita; Aut: ergo traditiones aliquæ extra scripturam sunt admittendæ pro norma fidei; Aut: scriptura non est sola & vnica norma vel Iudex fidei. Tuum ergo figmentum derides, Hunni, cummutato controuersiæ statu tuam illam consequentiam derides, non nostrum argumentum.

2. Pagina 236. circa Aaronis factum ita disserunt, tanquam si quæstio nobis fuisset, vtrum etiam Aaron, aut cæteri Pontifices in ipso cultu errare potuerint. Sed de hoc nullam fuisse quæstionem, ex eo patet, quod in ipso Colloquio Sessione tertia Vriam in cultu errasse palam concessum, ac simul etiam additum est, de hoc duntaxat omnem nobis esse quæstionem, vtrum summi Pontifices *in definiendo* errare potuerint.

*Protoco. Monacen. pag. 56. 57. &c.*

3. Pagina 140. & 244. Hunnius, vt suum absurdissimum dictum de perpetuitate Moysaicæ cathedræ, à nota absurditatis vindicet, eũ controuersiæ statum fingit, quasi nobis in Colloquio fuerit quæstio, vtrum cathedra Moysis, ratione doctrinæ sit perpetua: Quod falsissimum est, cum nobis vtrinque sermo esset de authoritate ac potestate iudiciaria summorum Pontificum in Moysis cathedra sedentium, vt ex Protocollo patet. Sed de hac re contra Hunnium nuper in Apologetico pro Monacensis Protocolli præfatione prolixè actum est.

*Sess. 3. Protoc. pag. 54.*
*Apolog. cap. 7.*

4. Pagina 124. & 251. prolixè probat Hunnius, Pharisæos ac scribas etiam in doctrina, quam publicè proponebant, errasse: de quo tamen nulla nobis fuit quæstio, de hoc solum disceptantibus, an errauerint in do-

ctrina

ctrina illa publica, qua cum authoritate publica quippiam in causa publica Religionis ex cathedra definiebant. *Vid. Gretser Dig.*

5. Pagina 364. & alibi sæpius agens de ratione cognoscendi libros canonicos, ita contra nos disserit, tanquam si omnis quæstio sit aut fuerit, vtrum præter traditionem non sit aliud medium, ex quo illi aliqua saltè imperfecta & inadæquata ratione cognosci possent; cum in eo potius omnis controuersiæ cardo vertatur, an, quinam vniuersim libri canonici sint, ex sola scriptura, seclusa traditione, sufficienter possit cognosci; an verò necessariò adhibendum sit medium traditionis ad hanc rem dignoscendam; quem verissimum quæstionis statum penitus dissimulat Hunnius, hoc ipso planè significans, se necdum gladium inuenisse, quo nodum hunc secaret. Eiusdem farinæ est, quod Hunnius, supposita authoritate Euangelij S. Ioannis ex Ecclesiæ testificatione, multis probare contendit, ex ipsomet Euangelio S. Ioannis capite vltimo probari, quod Ioannes sit author eius Euangelij. Sic enim inter cætera ait: *Cum Euangelium S. Ioannis in omnium ætatum Ecclesia fuerit sacrosanctum habitum, quòd à Deo ipso tanquam supremo authore profectum illud sit; quid ni prudens quisque hinc concludit, authorem libri in edendo nomine suo dixisse veritatem?* *Apolog. 365.* Quis dubitat Hunni? Nobis quidem de hoc nulla est quæstio; sed potius, an seposita traditione Ecclesiæ, certò sciri possit, Euangelium S. Ioannis esse Ioannis, siue Canonicum. Iam tu ipse cum agnoscis, hoc non nisi suppositâ traditione Ecclesiæ certò cognosci, nostram planè sententiam asseris, non destruis.

6. Pagina 345. circa loca ex scripturis pro Pædobaptismo ab aduersariis adducta, sic declamitat Hunnius, quasi absolutè à nobis in Colloquio negatum sit, posse ex eiusmodi locis scripturæ, in quibus integræ familiæ baptizatæ ab Apostolis leguntur, probari Pædobaptismum; aut quasi capite vndecimo meæ Relationis eiusmodi probationis genus retulerim inter cætera exempla, quibus ostenderam, ab Hæreticis scripturas absurdè tractari. Hinc enim nobis etiam Bellarminum opponit, qui talibus scripturæ locis ad rem eandem comprobandam vtitur. Sed hæc mendacia sunt. Non enim negauimus vnquam posse aliquâ ratione probabiliter, ex eiusmodi scripturæ exemplis Pædobaptismum probari; sed hoc solum; posse eum probari *euidenter*; vt contendebant Prædicantes: hanc enim consequentiam ineptam diximus, non illam, quam Bellarminus, & cæteri Catholici tractatores vt probabilem inferunt. *Vid. Protocol. Sess. 12. Bellarm. lib. 1. de sacr. Bapt. cap. 8.*

7. Pagina 362. Circa perpetuam virginitatem B. Mariæ, ait in Colloquio à nobis fuisse disputatum, *ex scriptura non posse probari, Mariam semper mansisse Virginem.* Impudens mendacium; non enim latet Prædican- *Sess. 10.*

 tem,

dici præstas indicium, te initio falsam accusationem esse molitum. Consimile planè iudicium de nostris quoque aduersariis ferendum est, qui circa grauissimas religionis controuersias non modo in ipso Colloquio primarium totius controuersiæ statum turpiter conuellere studebant, vt capite sequente ad oculum ostendetur; sed etiamnum in suo Apologetico adeò frequenter extra chorum saltitant, vt in paucissimis quæstionibus suam sententiam, inuiolato quæstionis statu, tueri conentur, quod sequentibus exemplis manifestum fiet.

1. Obiecerant nostri sæpius traditionem de libris Canonicis ad cõprobandũ aliquid extra scripturam necessariò credendum esse. Eamq; ét in mea Relatione contra aduersarios sæpius vrseram, præsertim parte prima

*Apol. pa. 220.* cap. 4. Hic Hunnius, *Quod autem Tannerus* inquit *à concessis ad non concessa tam imperite procedit, inscitiæ ipsius est tribuendum. Qualis enim est consecutio: testificatio Ecclesiæ de libris Moysis est admittenda; admittenda igitur quoque traditio de inuocatione Sanctorum, cultu imaginum, communione sub vna specie. &c.* Sed non hoc agebatur, Hunni, non hoc inferebatur, vt ipse nosti, sed iuxta propositum Disputationis thema hæ generales consequentiæ factæ sunt: ergo in materia fidei non omnis additio ad scripturam est prohibita; Aut: ergo traditiones aliquæ extra scripturam sunt admittendæ pro norma fidei; Aut: scriptura non est sola & vnica norma vel Iudex fidei. Tuum ergo figmentum derides, Hunni, cummutato controuersiæ statu tuam illam consequentiam derides, non nostrum argumentum.

2. Pagina 236. circa Aaronis factum ita disserunt, tanquam si quæstio nobis fuisset, vtrum etiam Aaron, aut cæteri Pontifices in ipso cultu errare potuerint. Sed de hoc nullam fuisse quæstionem, ex eo patet, quod in ipso Colloquio Sessione tertia Vriam in cultu errasse palam concessum, ac simul etiam additum est, de hoc duntaxat omnem nobis esse quæ-

*Protoco. Monacen. pag. 56. 57. &c.* stionem, vtrum summi Pontifices *in definiendo* errare potuerint.

3. Pagina 140. & 244. Hunnius, vt suum absurdissimum dictum de perpetuitate Moysaicæ cathedræ, à nota absurditatis vindicet, eũ controuersiæ statum fingit, quasi nobis in Colloquio fuerit quæstio, vtrum cathedra Moysis, ratione doctrinæ sit perpetua: Quod falsissimum est, cum nobis vtrinque sermo esset de authoritate ac potestate iudiciaria summorum Pontificum in Moysis cathedra sedentium, vt ex Protocollo patet. Sed de hac re contra Hunnium nuper in Apologetico pro Monacensis

*Sess. 3. Protoc. pag. 54. Apolog. cap. 7.* Protocolli præfatione prolixè actum est.

4. Pagina 124. & 251. prolixè probat Hunnius; Pharisæos ac scribas etiam in doctrina, quam publicè proponebant, errasse: de quo tamen nulla nobis fuit quæstio, de hoc solum disceptantibus, an errauerint in doctrina

ctrina illa publica, qua cum authoritate publica quippiam in causa publica Religionis ex cathedra definiebant. *Vid. Gretser. Dig.*

5. Pagina 364. & alibi sæpius agens de ratione cognoscendi libros canonicos, ita contra nos disserit, tanquam si omnis quæstio sit aut fuerit, vtrum præter traditionem non sit aliud medium, ex quo illi aliqua saltē imperfecta & inadæquata ratione cognosci possent; cum in eo potius omnis controuersiæ cardo vertatur, an, quinam vniuersim libri canonici sint, ex sola scriptura, seclusa traditione, sufficienter possit cognosci; an verò necessariò adhibendum sit medium traditionis ad hanc rem dignoscendam; quem verissimum quæstionis statum penitus dissimulat Hunnius, hoc ipso planè significans, se necdum gladium inuenisse, quo nodum hunc secaret. Eiusdem farinæ est, quod Hunnius, supposita authoritate Euangelij S. Ioannis ex Ecclesiæ testificatione, multis probare contendit, ex ipsomet Euangelio S. Ioannis capite vltimo probari, quod Ioannes sit author eius Euangelij. Sic enim inter cætera ait: *Cum Euangelium S. Ioannis in omnium ætatum Ecclesia fuerit sacrosanctum habitum, quòd à Deo ipso tanquam supremo authore profectum illud sit; quid ni prudens quisque hinc concludit, authorem libri in edendo nomine suo dixisse veritatem?* *Apolog. 367.* Quis dubitat Hunni? Nobis quidem de hoc nulla est quæstio; sed potius, an seposita traditione Ecclesiæ, certò sciri possit, Euangelium S. Ioannis esse Ioannis, siue Canonicum. Iam tu ipse cum agnoscis, hoc non nisi suppositâ traditione Ecclesiæ certò cognosci, nostram planè sententiam asseris, non destruis.

6. Pagina 345. circa loca ex scripturis pro Pædobaptismo ab aduersariis adducta, sic declamitat Hunnius, quasi absolutè à nobis in Colloquio negatum sit, posse ex eiusmodi locis scripturæ, in quibus integræ familiæ baptizatæ ab Apostolis leguntur, probari Pædobaptismum; aut quasi capite vndecimo meæ Relationis eiusmodi probationis genus retulerim inter cætera exempla, quibus ostenderam, ab Hæreticis scripturas absurdè tractari. Hinc enim nobis etiam Bellarminum opponit, qui talibus scripturæ locis ad rem eandem comprobandam vtitur. Sed hæc mendacia sunt. Non enim negauimus vnquam posse aliquâ ratione probabiliter, ex eiusmodi scripturæ exemplis Pædobaptismum probari; sed hoc solum; posse eum probari *euidenter*; vt contendebant Prædicantes: hanc enim consequentiam ineptam diximus, non illam, quam Bellarminus, & cæteri Catholici tractatores vt probabilem inferunt. *Vid. Protocol. Sess. 12. Bellarm. lib. 1. de sacr. Bapt. cap. 8.*

7. Pagina 362. Circa perpetuam virginitatem B. Mariæ, ait in Colloquio à nobis fuisse disputatum, *ex scriptura non posse probari, Mariam semper mansisse Virginem.* Impudens mendacium; non enim latet Prædican- *Sess. 10.*

 tem,

tem, hoc nos solum contendisse, non posse ex sola scriptura *euidenter* probari perpetuam illam virginitatem B. Virginis; quod & verissimum est.

8. Pagina 231. & seq. circa locum illum Isaiæ 8. *Pro viuis à mortuis?* vt suam absurditatem tegat, qua in Colloquio dixerat, per *viuos* intelligi *Deum viuum*, rursus circa statum quæstionis peccat; cum sic disserit, tanq̃ si quæstio fuerit, anne eo loco per *viuos* intelligi possint De⁹ simul & Doctores. Sed hoc falsum est. Et si falsum non esset, tunc planè nihil ad rationem D. Gretseri ex eo loco petitam respondisset Hunnius, quandoquidem is amplius eo loco probare non contendebat, quàm mitti quoque à Deo homines ad *viuos*, hoc est, *Sacerdotes*. Et sanè verba Hunnij clara sunt, cũ nullâ facta aliorũ Doctorum mentione diceret, intelligi illic *Deum viuũ*. Quã absurditatẽ ex eo purgare Hunni⁹ nulla ratione potest, ꝙ in præcedente oratione Dei fit mentio his verbis: *Nunq̃d non popul⁹ à Deo suo requiret visionẽ?* quasi verò consequens sit, ẽt in consequẽte nouo orationis membro de eodẽ Deo mentionem fieri. At cur non potius Hunni⁹ populum, cui⁹ etiã in præcedente illa oratione facta est mentio, per *viuos* in sequenti oratione intelligi asserit? Hoc enim certè textui, scripturæ, ac imprimis Caldaicæ Paraphrasi, & Græcæ versioni Septuaginta conuenientissimum est. Sed de hoc absurdo Hunnij alibi plura.

*Protoco. Monac. pag. 32.*

*Apol. pro Præfat. cap. 6.*

9. Pagina 331. Hunni⁹ generalem quandam responsionem molit⁹ ad ea, quæ ca. 11. part. 1. Relationis meæ dissserueram, de recepto apud Hæreticos more, scripturas suis errorib⁹ prętexendi; ait me voluisse hoc modo ratiocinari: *Omnes Hæretici in more positũ habent, vt scripturas crebro allegent: Collocutores Augustanæ confessionis Ratisbonæ crebro allegarũt scripturas; ergo sunt Hæretici: aut certè in modũ Hæreticorũ disputarũt.* Sed extra metas currit Hunni⁹; non .n. huc tendebat mea Disputatio, quę in hanc formam poti⁹ resoluit: Omnes Hęretici scripturas crebro allegarunt: ergo nihil ẽt ab aliorũ Hęreticorum more alienũ fecerunt nostri aduersarii, dũ scripturas male detortas ꝓ suis conclusionib. quantũuis copiosè allegarunt. Vnde consequens est, nihil ẽt eos hac re, vt alioquin insolenter faciũt, gloriari posse. Quod si Hunnij Conclusionẽ inferre volum⁹, tunc sic argumẽtabimur: Oẽs qui scripturas ita allegãt, vt eas ex sui cerebri priuato ductu, contra fidẽ & communem interpretationem SS. Patrum & Catholicę Ecclesiæ interpretentᷣ, sũnt Hęretici: Aduersarii hoc in Colloquio fecerunt, vt partim in ipso Colloquio, partim alibi iam ostensum est: ergo sunt Hęretici. Vbi planè nec in materia, nec in forma quidquam desideratur.

*Vid. Apolog. Præfat.*

10. Relatione part. 2. ca 3. absurditas, lęsæ conscientiæ ac proditæ veritatis insimulaueram Hunnium, dum in Colloquio asseuerauit, ex visione quatuor animalium apud Ezechielem & S. Ioannem demonstrari, quod Euãgelium S. Matthæi sit Matthęi & Canonicum. Ad hoc cũ nihil haberet

Hun-

Hunnius, q respondéret, statū quæstionis peruertit; tanq̄ si de hoc nobis quæstio fuerit, an visio illa quatuor animaliū per quandā allegoriam ad quatuor Euangelistas designandos accōmodari possit, vt à S. Patribus plerisq; factum libenter fatentur. Non hoc disceptabat Hunni, sed an ex eiusmodi visionib. atq; adeo ex sola scriptura, seposita Ecclesiæ authoritate, certò cognosci possit, hoc q modo manibus terim⁹ Euangeliū S. Matthæi verè esse Matthæi & Canonicum. Ad hanc quæstionē respondere debes, Hunni, & nominare animal, quo tantum prodigium fiat manifestum. Si necdū inuenisti, tacere debes, & vel discere q nescis, vel certè prudenter non impugnare q scis. Sed de hac re contra Hunniū alibi prolixè actū est. *Exam. Hun*

11\. Indicaueram in Relatione part. 2. c. 3. non tantum contra legitimam disputādi formā, sed ét absurdè obiectū fuisse exemplū Onesimi; ad ostēdendū, non esse dogma fidei, q Euangeliū S. Matthæi sit Matthæi: Etenim minimè Consequens esse: si Onesim⁹ testificando Epist. S. Pauli esse Pauli, non potuit dogma fidei constituere, non posse ét Ecclesiæ traditionē, testantē Euang. S. Matthæi esse Matthæi siue Canonicū, constituere fidei articulū; cum vtiq; maior sit authoritas *toti⁹ Ecclesiæ, & summorū in Ecclesia capitū*, quā vnius in Ecclesia particularis personę. His Hunni⁹ rursus irretitū se videns, vt elabat, rūpere tentat rete, & quæstionis statū conuellere. *Non .n. quæstio est*, inq t, *an pl⁹ authoritatis habeat testimoniū toti⁹ Ecclesiæ primitiuæ testimonio priuati, velut Onesimi: sed hoc quæritur, an q ex sese dogma & articul⁹ fidei non est, possit vllo testimonio forinsec⁹ accedente (siue id sit Onesimi, siue Ecclesiæ, siue multorū, siue paucorū,) verti & mutari in articulū fidei.*. Erras Hūni; Quæstio erat, an traditio illa Ecclesiæ Euang. S. Matthæi esse Matthęi siue Canonicū, constituat articulū siue dogma fidei. Nos asserebam⁹, Hunnius negabat, idq; exēplo Onesimi, his ipsis verbis q in Protocollo habent, pbauit: *q si testificatio illa externa* (Ecclesię) *constituat articulū fidei, tū deductione ad absurdum demonstrabo, q etiā necessario p articulo fidei habendū sit, quando Onesimus epistolā ad Collossenses testatur esse Pauli. Absurdū a. est hoc: igitur & prius*: quę sane argumentatio, nisi in ea supponat, non maiorē in Ecclesia, quàm in Onesimo fuisse authoritatē constituendi articulū siue dogma fidei, planè futilis, absurda, & inepta est: quanq̄ ét si hoc maximè supponat, nihilomin⁹ futilis, absurda ac inepta est, eò q absurdissimo figmento nitat. Certè quidem si Onesimus Apostolicam, aut parē cum Ecclesia authoritatē habuisset, tunc sane pari modo dicerem⁹, ei⁹ testificationē constituisse articulū siue dogma fidei, quo modo id iam de Ecclesia dicim⁹; accipiendo articulū fidei generatim pro qualibet fidei ppositione necessario credenda, vt alibi dixim⁹. Sed & in eo rurs⁹ quæstionis statū dissimulat Hunni⁹, dum ad meū illud dictū Relationis: *Certè Onesim⁹ nullū librū Canonicū scripsit, nec scribere potuit; ergo nec Apostoli scripserū, nec scribere potuerū*; respōdet me argumētari debuisse ab Onesimo nō

*Relat. cap. 11*

*Apol. pa. 44.*

*Prot. Monac. pap. 239. Lauing. 313.*

ad Apoſtolos, ſed ad Eccleſiam. Ineptè. Cum enim Oneſimũ prius quoad teſtificationem de libris Canonicis, non tantum comparaſſem cum Eccleſia, ſed etiam cum ſummis Eccleſiæ illius temporis Prælatis, quales, procul dubio erant Apoſtoli (nam nec horum teſtificationem excludimus, cum dicimus traditionem Eccleſiæ primitiuæ de libris Canonicis conſtituiſſe dogma fidei) rectiſſimè oſtendi, inæqualitatem authoritatis inter Oneſimum & Apoſtolos: cum nobis ſufficiat, Apoſtolorum ſaltem traditionem de libris Canonicis articulum ſeu dogma fidei conſtituiſſe.

Quod ſi ille quæſtionis ſtatus conſtituatur, quem ſupra ex Hunnio recitauimus, tunc neſcio ſanè, quid in eo cõtrouerti poſſit. Nam ſi velit Hunnius, articulũ fidei debere per ſe, citra vllum omnino teſtimonium externum, late etiam acceptum, prout aliquando in ſcripturis, quamlibet aſſertionem ſeu declarationem ſignificat, eſſe articulum fidei, tunc ſanè palam delirat: cum nullus omnino articulus fidei reperiatur, qui ante omnem externam aſſertionem ſeu reuelationem fuerit articulus fidei: quandoquidem fidei articulus, per reſpectum ad eiuſmodi externam aſſertionem ſeu reuelationem, diuina authoritate factam, intimè conſtituitur. Si teſtificationem accipiat ſtrictè, prout ſignificat propoſitionem alicuius veritatis, iam antea diuina authoritate reuelatæ, tunc eſto ſanè; nihil per huiuſmodi teſtimonium externum fieri poſſe articulum ſeu dogma fidei, quod ratione diuinę reuelationis iam antea factæ, non ſit dogma fidei; Sed quid hinc obtinebit Hunnius? Ergo etiam Apoſtoli cum aſſeruerunt, hoc vel illud à ſe diuina authoritate eſſe conſcriptum, non conſtituerunt dogma fidei? aut ſi fortè Apoſtoli, quandoque circa librum aliquem nullam eiuſmodi expreſſam traditionem reliquerunt, ſed Eccleſia aliis indiciis perſuaſa infallibili ductu ſpiritus ſancti communi conſenſione affirmauit, hunc vel illum librum à S. Paulo, vel Matthæo diuina authoritate eſſe ſcriptum, eiuſmodi ſua aſſeueratione nullum fidei dogma conſtituit? Ineptè. Nam cum hęc ipſa teſtificatio, ſiue aſſertio Apoſtolorum, aut Eccleſiæ, medium ſit, quo Deus reuelauit hanc veritatem, S. Matthæum videlicet, aut Paulum, diuina authoritate hunc vel illum librum ſcripſiſſe; æquè certum eſt vtrumque, propoſitionem videlicet illam & ante reuelationem eiuſmodi rationem dogmatis ſeu propoſitionis fidei neceſſariò credendæ non habere, & poſt eam habere. Quod ſi tantum de nominibus dogmatis & articuli contendit Hunnius, tunc rurſus pro nucleo corticem arrodit. Nobis enim ſatis eſt, propoſitionem aliquam fidei non ſcriptam neceſſariò credendam eſſe, atque adeò ſcripturam non eſſe vnicam & ſolam normam fidei, quod aduerſarii in ſuis theſibus affirmauerant.

12. Oſtenderam in Colloquio, ad eneruandum locum Apoſtoli pro traditio-

traditionibus à nobis ex secunda ad Thessalonicenses cap. 2. allatum, ineptissimè fuisse ab aduersariis obiectum, illud eiusdem epistolæ: *Neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquã per nos missam, quasi instet dies Domini*; cùm, vt ex ipsis verbis euidens est, solum damnet Apostolus eo loco, cum epistolas, tum sermones suppositios, idq; ipsum in mea Relatione, vt gestum est, retuli. Hic Hunnius rursus pedem in proposito statu controuersię non ausus figere, alio digreditur. *Inde verò* (ex hoc videlicet responso nostro inquit) *non licet inferre, sicut scripturam ipsam non damnat Apostolus, sic nec traditiones, quas venditant Pontificij*, vtpote quas non esse supposititias, nullo documento putat probari posse. Sed duas distinctas quæstiones confundit Hunnius. Prima est, an omnino admittendæ sint traditiones pro norma fidei, seu potius, an omnes omnino traditiones in materia fidei, per illum locum Apostoli ab aduersariis obiectum tollantur. Altera est, an istæ ipsæ traditiones, quas Catholici tuentur, sint Apostolicæ traditiones, aut alioqui certè à legitima authoritate profectæ, an verò supposititiæ tantum, nullaq; legitima authoritate sancitæ. De hac quæstione nihil tunc quidem agebatur, sed solum, vt thema propositum Disputationis postulabat, de prima, in qua & nostram sententiam ex adducto illo Apostoli loco firmiter probauimus, & aduersarii obiecto altero Apostoli loco ineptè impugnârunt, vtpote nullo robore conuellendam. Rectè ergo dixeram ineptè Hunnium adduxisse illum locum S. Pauli, vtpote quo solummodo traditiones supposititiæ, non autem qualescunque traditiones damnentur. Eiusdem generis est, quod etiam in Colloquio sæpius obiecit, traditionem illam de communione sub vna specie, cum status quæstionis minimè esset, num hæc vel illa traditio scripturæ sit consentanea, sed anne omnino aliqua traditio pro fidei regula, atque adeo pro verbo Dei sit agnoscenda. Quod etsi optimè nouit Hunnius, adhuc tamen deserti in ea re status quęstionis nos impudenter accusare audet.

*Apol. pa. 379.*

*Apol. pa. 447.*

13. Pagina 408. recitare volens summam eorum, quæ in cap. 7. part. 2. Relationis dixerã, ait, me asseruisse, *probari non posse ex scriptura, Baptismum ab Hereticis collatum esse vere Baptismum.* Vbi simul & luculenter mentitur, & quæstionis statum peruertit. Non enim dixeram, hoc ex scripturis probari non posse, neque verò de hoc vlla nobis erat quæstio: sed non posse ex sola scriptura probari *euidenter*, de quo nobis in Colloquio erat omnis controuersia.

14. Pagina 415. sententiam nostram de absoluta (limitata tamen) potestate Iudiciaria Ecclesiæ, qua de cap. 8. part. 2. Relationis à me actum est, impugnare non potest, quin statim in ipso vestibulo per calumniam statum quæstionis mutet; quasi nos videlicet tribuamus Pontifici autho-

ritatem absolutam *statuendi pro libitu etiam extra verbum Dei scriptum*: Quod est impudens mendacium. Ad argumentum autem illud nostrũ in Colloquio propositum, & in Relatione commemoratum, quod merito omni Adamante fortius esse dixim⁹, adeo non respondet Hunnius, vt id ne referat quidem. Quin etiam vt in Colloquio, ita etiamnum cæcis anfractibus oberrans sic disserit, tanquam si nobis propositum fuerit probare, talem omnino iudicandi authoritatẽ in Ecclesia constituendam & agnoscendam esse, post cuius sententiam, non obstante vlla malitia siue cõtumacia partium, mox omnes lites cõticescant; Ad hoc.n. refutandũ spectat ille locus, ab aduersariis adductus, *oportet hæreses esse*, prima ad Corinthios 11. quod tamen falsissimum est, nec vnquam nobis in mentem venit, imo potius tum in ipso Colloquio, tum in Relatione disertè declaratũ est, id nos in Ecclesiastico iudice minimè requirere, sed solùm vt ex parte quidem ipsius, non relinquatur libera potestas partibus, in vtramque partem disceptandi: quin fateri debeat pars damnata, se, quantum est quidem ex parte eius iudicis, causa cecidisse. Quod tamen secundum aduersariorum doctrinam non accidit. Ostendimus hoc exemplo Caluinistarũ, qui tametsi non magis alioqui nostri iudicis sententiæ acquiescãt, quã aduersariorũ (quod ineptè & mutato statu controuersiæ obiecerat Hunni⁹) attamen nihil dubitant, quin admisso nostro iudice, siue quantum est ex parte huius iudicis sint damnati: cũ tamen nec admisso quidẽ aduersariorũ iudice fateri possint, aut velint, se ab eo condẽnatos esse. Cuius dicti mei non *est sens⁹*, vt fingit Hunnius: *si Caluinista pri⁹ transeat in castra Pontificiorũ, & vna cum his agnoscat & admitta Papã iudicẽ, quod tunc demũ fateri illũ oporteat, se ab eo sufficiẽter condẽnari*. Sed verbis illis duplex hoc discrimen inter nostrum & aduersariorũ iudicẽ indicatum est. 1. Quod Caluinistæ facilè agnoscant, se à nostro iudice, *quantũ est ex ei⁹ parte*, planè dãnatos esse, etsi quidẽ sua malitia interim eũ pro iudice non recipiant; cum tamen è conuerso perpetuò exclament, se quantum est ex parte scripturę, designati videlicet ab aduersariis iudicis, non esse damnatos. Alterum, quod Caluinista, quidquid alioquin credat, admissa seu posita hypothesi nostri iudicis, libenter fatetur, atq; etiam fateri debet, se sufficienter esse dãnatũ, admittendo videlicet hanc hypotheticã ꝓpositionem: Si Religionis Iudex est ille, quẽ Catholici designant, tunc equidẽ de errore sufficienter damnatus sum: cùm è conuerso, loquendo de iudice aduersariorum, ne hanc quidem hypotheticam propositionem admittere possit aut velit: Si Religionis Iudex est ille ac talis, quem ac qualem Lutherani mihi designant, tunc ab eo sufficienter de errore damnatus sum. Siue enim Lutherani ei iudicem designent scripturam, ait hãc à se stare; siue ministerium Prædicantiũ Lutheranorum, respondet ipsorummet confessione,

one, iudicium ei⁹ non esse absolutũ, nec infallibile; ac ꝓinde nec absolutè acceptandum, sed potius ad normam scripturæ examinandum esse. Iam verò examinatum à se deprehẽdit scripturis consentaneum non esse; itaque se ab eo sufficienter non esse damnatũ, sed id potius iure optimo tanquã scripturis aduersum repudiari. Et hoc quod Caluinista diceret contra Lutheranos, diceret ẽt quiuis alius Hæretic⁹, & possent consimiliter dicere Catholici; ita vt verissimũ sit, nullum Hæreticũ à Lutheranis dissentiẽtem, suorũq; dogmatũ fundamenta, Lutheranorũ more in scripturis (male intellectis) iacientẽ (nec admisso q dem eorũ iudice) fateri posse aut debere, se quantũ est ex parte ei⁹ iudicis sufficienter esse dãnatum. Hæc omnia cum dissoluere non posset Hunnius suo more violenter in alium sensum detorta derisit.

15. Eadem impostura peruertit statum quęstionis circa nostrum 2. argumentum ꝓ Ecclesiastici iudicis infallibili authoritate comprobanda allatũ in Colloquio Sess. 14. & Relat. c. 9 par. 2. meæ Relationis. Quæstio erat, an Conciliorũ sententia fuerit vltima, ita vt nulli facultas relicta fuerit, eã vlteri⁹ examinandi, aut in dubiũ vocandi; Quod nos in Colloquio probauim⁹ verissimũ esse, ex praxi veteris Ecclesię, & iã quoq; confirmari vlteri⁹ potest, decreto Imperatoris Martiani, q eiusmodi examen seuere ꝓhibet his verbis: *Nemo cleric⁹, vel militaris vel alterius cuiuslibet conditionis de fide Christiana publicè turbis coadunatis & audientibus tractare conetur imposterũ, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionẽ requirens. Nã & iniuriam facit* IVDICIO REVERENDISSIMÆ SYNODI, *si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere ac publicè disputare contenderit: cũ ea, quæ nunc de Christiana fide à sacerdotib qui Chalcedone cõuenerunt, per nostra præcepta statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & instituta S. Patrum 18. in Nicæa, & 150. in hac regia vrbe definita esse noscantur, &c.* Iam verò Hunnius omnem quęstionem in eo sitam fuisse fingit, quare nam iudicio Conciliorum vniuersalium absolute acquiescendum fuerit, cum non hæc propriè quæstio initio fuerit agitata, vt supra dictum est, & ex quacunq; tandẽ causa eis absolutè fuerit acquiescendum, semper firmiter concludatur, Conciliorum generalium sententiã absolutam & vltimam fuisse. Quid, quod occasione Hunnianæ tergiuersationis, etiam de causa eius rei agendo, in Colloquio manifestè demonstratũ est, ideo eiusmodi Conciliorũ decretis vltimatè acquiescendũ fuisse, q a Concilia ipsamet iudicauerint, sententiã suam esse scripturis cõformẽ, quidquid tandẽ alii hac de re sensissent. Alioquin .n. futurũ fuisse, vt Arius V.G. nunq̃ debuerit recipere sententiã Conc. Nicæni, vtpote, quam ipse iudicabat non esse consentaneã scripturæ, vt in Colloquio fusius declaratum est, atq; etiam hoc modo declarari potest euidentius.

*C De summa Trinit. & fid. Cathol.*

*Protoco. Monac. pag. 314.*

Dixerat Hunnius in Colloquio, *ideo, & non aliter standũ fuisse, decreto*

*Con-*

*Concilij* (Nicæni) *quàm quod animaduersum & euidenter obseruatum fuit, eam condemnationē dogmatis Ariani ex scriptura sacra petitam, & illius fundamento superstructam esse.* Horum verborum aut sensus est, ideo vltimate ac absolutè fuisse standum sententiæ Concilii, quia Concilium ipsum iudicauerit & animaduerterit, suam sententiam esse scripturæ fundamento superstructam; & tunc habemus intentum: videlicet Concilii sententiam fuisse vltimam, & absolutam. Aut sensus est, ideò tandem vltimate ab omnibus Christianis (etiamsi alioqui ex his quidam aliter iudicarent) fuisse standum eiusmodi sententiæ, non solum quia Concilium ipsum iudicauerit, sed quia pars etiam quædam aliorum Christianorum, seu maior, seu minor, extra Concilium *euidenter* deprehenderit eam sententiam esse consentaneam; & sic manet adhuc, iudicium saltem Ecclesiæ, si non Concilii fuisse vltimum ac absolutum, quod nobis ad nostrum institutum sufficit: præterquam quod absurdum est dicere, solius quidem Concilii sententiam, vltimam & absolutam non esse, fieri autem infallibilem, vltimam, & absolutam, si quidam saltem extra Concilium idem cum eo iudicent. Aut sensus est, ideò & eatenus tantum Christianos debuisse stare sententia Concilii, quia & quatenus singuli *euidenter animaduertebant*, eā Concilii sententiam esse scripturis conformem; qui videtur esse ipsissimus sensus ab Hunnio intentus; & tunc euidenter sequitur, Arianos in Concilio damnatos, imo etiam alios de plebe Christianos, qui vt fieri solet, momenta causæ ex neutra parte satis intelligebant, non debuisse stare decreto Concilii condemnantis Arium, vtpote, quòd hi quidem *euidenter* minimè obseruassent, id scripturæ fundamento superstructum esse, sed ex iis quidam sibi visi fuerint contrarium potius euidenter ex scripturis collegisse. Eligat modo Hunnius ex his interpretationibus, quam malit: ipse enim quidquid faciat, semper à nobis vinctus, & victus tenebitur.

16. Similiter etiam statum quæstionis inuertit circa obiectum ab aduersariis exemplum Sephoræ, circumcidentis filium suum: quasi videlicet eo probare debuerint aut voluerint, *Baptismū ab Hæretico collatum censeri coram Deo ratum.* Cùm tamen non hoc præcisè eis probandum incubuerit, sed; id hoc exemplo *euidenter* demonstrari. Hæc enim illa cōsequentia est à me in Colloquio negata. *Quasi verò*, vt dicebam, *infidelis non possit validè circumcidere in carne & carnem secare.* Quod dictum non spectabat tantum ad carnis illam sectionem materialiter consideratam, sed etiam vt erat actio Sacramentalis veteris legis, quod non animaduertit Hunnius. Respiciebam enim ego ad discrimen, quod est inter Sacramenta nouæ legis, & veteris, iuxta doctrinā S. Pauli, qui hæc quidem vocat *infirma & egena elementa mundi*, quæ proinde nullam vim & efficaci- Gala. 4.

am

ciam habuerint conferendi gratiam; cum è conuerso Sacramenta nouæ legis sint instrumenta gratiæ, tantò illis efficaciora, quantò digniora. Vnde significabam à circumcisione, quę reipsa, ac in se nihil aliud erat, quam carnis sectio, modo iam explicato, ad Baptismum, qui vocatur ab Apostolo *lauacrum regenerationis,* nullam euidentem consequentiam ad institutum fieri posse: quidquid interim delirent aduersarii, Sacramenta nouæ legis efficaciora non esse Sacramentis antiquæ legis, imò nec Baptismum Christi, Baptismo Ioannis. *Tit. 3.* *Vid. Bellarm. de Sac. in gen. & l. 1. de Bapt.*

Circa locum illum ad Romanos 14. *Quod ex fide non est, peccatum est;* quam impudenter Hunnius controuersiæ statum in suo Apologetico peruerterit, satis à me circa finem præcedentis capitis ostensum est. Ex his interim Lector iudicet, quæ fiducia sit Prædicantibus sua commenta defendendi, quando ab eis ipsimet adeo turpiter resilire conantur. Et vt hoc etiam obiter hîc annotem, hic inter ceteros non infimus est fructus formæ illius Dialecticæ, quam Iesuiticam dixit Hunnius, vt aduersarius intra cācellos rei, de qua disputandum est, contineatur, ne præter scopum præfixum, inani opera vel in aerem, vel ad aliam metam, sua siue argumenta, siue responsum dirigat, magno quidem & multo verborum fragore, sed irrito ictu. Ego vero suaserim Hunnio, vt posthac, si mecum scribendo certare velit, ab hac adeo turpi & probrosa arte, seu potius inertia absistat, & si vir cordatus est, intra destinatam palæstram se contineat, ad propositum scopum sua argumenta & responsa dirigat, mea non detruncet, nec aliorsum rapiat. Si enim secus facere perrexerit, tunc iam non Theologicè tractandus veniet; sed potius pro dignitate ac meritis suis malus Dialecticus boni forsitan alicuius Dialectici ludibrium fiet.

## CAPVT IV.

### *QVAM TVRPITER HVNNIVS TVM IN COLloquio, tum in suo Apologetico, circa præcipuam totius Colloquij controuersiam, quæstionis statum immutauerit.*



NIL mirum est, Hunnium in secundariis quibusdam ac minus principalibus quæstionibus statum controuersiæ toties immutasse, quando etiam in præcipuo puncto controuersiæ illius, quæ in Colloquio agitabatur, idem adeo fecit confidenter. Quæstiones primariæ pro themate Colloquii propositæ erant istæ duæ: Prima. Sitne scriptura vnica & sola norma doctrinæ, cultus, & fidei Christianæ. Altera. Sitne scriptura controuersiarum omniū Iudex, inter eos præsertim, qui Christianorum nomen sibi vendi-

cant; asserentibus quidem aduersariis, sed Catholicis negantibus. Patet hoc in primis euidenter ex thesibus vtriusq; partis, initio Colloquii propositis. Sic enim aduersariorum prima & secunda thesis habet. *Verbum Dei, Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum scriptis comprehensum,* DOCTRINÆ, *cultus ac* FIDEI *Christianæ vnicam, certam, atq; infallibilem normã, regulam ac mensuram, cui propter ipsum Deum authorẽ, fides per se habenda sit, indubitanter agnoscim⁹. Id ipsum* CONTROVERSIARVM RELIGIONIS OMNIVM, *inter eos præsertim, qui Christianorũ nomen sibi vendicant, Iudicem, aut sanè vocem iudicis supremi, quem omnes agnoscere, timere, ac venerari tenemur, constituimus.* Vbi audis scriptum verbum *vnicam normam esse fidei,* ac simul *omnium controuersiarum Religionis iudicem* constitui. Nec obstat illa particula *præsertim.* Tam enim inter Dialecticos, quàm Grammaticos constat, voculam *præsertim*, propositionem vniuersalem, cui adiungitur, minimè restringere; sed duntaxat eius significatum in certo subiecto augere. Quin etiam si, quod falsum est, hoc loco propositionem illam vniuersalem aduersariorum restringeret, maneret tamen adhuc eorũ sententia, scriptura Iudex *omnium controuersiarum Religionis*, inter eos qui Christianorum nomen sibi vendicent, quales quidem etiam Hæreticos etsi alioqui re ipsa minimè Christianos esse constet. De qua re alibi fusius.

*it. Protocol.*

*pol. Præfat. p. 11.*

Contrarium verò Catholici in sua thesi etiam initio proposita palam edixerunt his verbis: *Sacra scriptura non est Iudex omnium controuersiarum fidei & Religionis Christianæ. Est quidem norma infallibilis, verùm nec sola, nec vnica, sed præter hanc necessariò admitti debent traditiones & Ecclesiæ definitiones, Doctorumq; Orthodoxorum consensus.* Quid quæso clarius hac de re dici potest?

Sed sunt tamen præter hæc etiã plura argumenta, ex quibus hanc, & non aliam initio quidem Colloquii, aduersariorũ hac de re fuisse sententiam, euidenter ostendi potest. Idem enim patet ex aliis thesibus aduersariorũ. Etenim in thesi quarta dicunt, in verbo illo diuino *sufficienter contineri omnia, quæ ad salutis æternæ consecutionẽ necessaria sunt.* In thesi sexta vocant scriptum verbum *vnicam normam fidei & cultuũ.* In thesi octauo illud rursus absolutè vocant *vnicam normam & iudicem.* In thesi nona dicunt se *aliam Religionis normam, aliosq; iudices, quocunque vocentur nomine, nisi ex prædicto verbo Dei infallibili doctrinæ suæ rationes exponant, in re tam ardua, nostramq; salutem concernente, admittere non posse.*

Quid, quod etiam in decursu Disputatioins subinde hunc esse statum quæstionis agnouerunt. In prima Sessione circa primum argumentum dixerat Hailbrunnerus, *ad verbum scriptum generaliter & omnes additiones esse prohibitas: nam eo ipso quod aliquid additur, expresso Dei verbo repugnare.*

*Protoco. Mo-ac. pag. 21.*

In

In tertia Sessione pro scopo & conclusione secundi argumenti statuit Hailbrunnerus, *verbum scriptum fuisse vnicã, totalem, perfectissimam & exactissimam normam Religionis & fidei.* Et rursus *fuisse vnicam, totalem, exactissimam & perfectissimam normam Religionis & cultuum.* Sessione quarta, tertio argumento principali, rursus pro conclusione intulit Hailbrunnerus, *scriptum verbum debere esse vnicam normam Religionis & cultuum.* In suis testimoniis Patrum, quæ multo labore ac studio domi prius congesserant & conscripserant, posuerunt inter cætera hunc syllogismum: *Si traditiones Apostolicæ, consuetudines, dogmata, spiritus, Ecclesia, scripta Patrum, omnia ex scriptura sacra sunt examinanda, est & manet profecto scriptura vnica norma & regula doctrinæ, omniumque controuersiarum Religionis index: Sed* &c. (omitto breuitatis causa) *ergò scriptura est, & manet vnica norma ac regula doctrinæ, & controuersiarum Religionis Iudex.* Habes hîc in propositione & conclusione magna cum asseueratione asserentes aduersarios, id de quo quærimus.

Protoco. Monac. pag. 60.

Protoco. Monac. pag. 65.

Protoco. Monac. cap. 154.

Cum ergo non solùm in thesibus suis adeò procul dubio matura deliberatione à se confectis, & quidem ob hoc ipsum confectis, vt de eorum sententia circa propositum thema palam constaret; sed etiam in omnibus quasi argumentis suis principalibus, quæ itidem à se prius in scriptum relata, & postea in Colloquio exscripta fuisse prælecta, ipsimet fatentur, toties asserant scriptum verbum esse vnicam normam omnium controuersiarum fidei & Religionis, nostris è contra negantibus, vt superius demonstratum est, quis dubitet, hunc, quẽ d ximus fuisse controuersiæ statum. Sitnè videlicet scriptura vnica norma fidei & Iudex omnium controuersiarum Religionis. Accedit vero illud ét euidens signum, quod cum in Seff. 13. aduersarii à me quæstione iuxta hunc controuersiæ statum informata premerentur, vix per integrum horæ spatium disertum respõsum ad eam extorquere potui; idq; ipsum ( cũ in eo aduersarii iam nobiscum consentire essent coacti) eis adeo exosum, vt postea per turpissimum falsi crimen id in Protocollo obliterandum curauerint, vt à me alibi luce clarius probatum est: vt vel ex hoc solo indicio manifestum sit, eum quem diximus quæstionis statum vtrinque inter nos controuersum fuisse.

Apol. Præfat. cap. 12.

Sed quid postea tandem attentârunt miseri? nimirum cum animaduerterent se theses suas iuxta constitutum initio adeo vniuersalem cõtrouersiæ statum tueri non posse, eum tandem in Disputationis progressu restringere, atque adeo restringendo immutare conati sunt. Quasi videlicet controuersia solũmodo sit de hoc, an scriptura sit vnica norma *omnium articulorũ ac dogmatũ & cultus.* Item an sit Iudex controuersiarum, Religionis, nõ omniũ, sed concernentiũ duntaxat *articulos & dogmata fidei siue cultus.* Vbi simul declarârunt, se fidei articulos & dogmata strictè

sumere, non generatim pro qualibet fidei propositione diuina ac infallibili fide necessariò credenda. Ita enim Hunnius Sessione 10. *Non sum*, inquit, *in ea opinione, quod simpliciter omnes traditiones reijciamus. Semper enim praecedentibus diebus* (certè initio Colloquij minimè) *addita est haec determinatio, quod reprobentur traditiones illae, quae complectantur articulos & dogmata.* Et mox infra. *Controuersiae vox*, inquit, *interdum refertur ad ipsa dogmata, & articulos comprehensos in ijs scriptis, de quibus testificatur Ecclesia. Et hac ratione sola scriptura est omnium controuersiarum Religionis concernentium ipsos articulos fidei iudex, &c.* Atq; hinc postea contendit, traditionem illam de libris Canonicis, non esse articulum, nec dogma fidei, vt alibi prolixè ex Protocollo ostendimus. In hoc verò ita commutato controuersiae statu, deinceps ferè semper adeo pertinaciter persstiterunt aduersarii, vt tandem satis demonstrarent, se nec velle, nec posse priorem illum controuersiae statum tueri. Sic enim Sessione 13. cum prior ille status initio constitutus à me pressius vrgeretur, post multam disceptationē, qua eò adactum fuisse Praedicantem ostendimus, vt suam ipse thesin, iuxta statum initio constitutum, propria confessione elideret, sic tandem conclusit Hunnius: *finaliter concludo, quod non sit aliquid in cultu, & in articulis, & in dogmatibus credendum, quod non vel expressè contineatur in scriptura, vel per bonam consequentiam deduci queat. In qua nostra finali quaestione penitus acquiescimus.*

*...toco. Mo... pag. 232.* *...ol. praefat. ...11.* *...ol. Praefat. ...11. & 12.* *...otoco. Mo... c. 289.*

Iam verò vt ne videatur ex aperta desperatione, ac deploratae caussae diffidentia à priore statu controuersiae recessisse, longè adhuc turpius contendit, hunc perpetuo, & non alium inter nos controuersiae statum fuisse constitutum; Et me potius in Sessione decima tertia (de qua re paulo ante dictum est.) non se controuersiae statum peruertere conatū fuisse. Atq; vt planè constet, quam se hîc impudenter efferat Praedicans, & simul vt ad omnia ipsius, quae pro se adducit probationum momenta, solidè respondeatur, ordine eam hîc, quae passim in suo Apologetico ad hanc rem confirmandam adfert examinabimus.

*...ol. p. 447.*

Primo quidem impudentissimè in suum patrocinium vocare audet nostram thesin, *in qua*, inquit, *vrgētur traditiones non scriptae, quae sint* NORMA FIDEI *& doctrinae.* Impudēs stoliditas. Quasi vero norma fidei nō significet generatim normam propositionum illarum, quę diuina ac infallibili fide creduntur; Sed duntaxat normam earum fidei propositionum, quas aduersarii vocant dogmata & articulos fidei: quasi verò non sit etiam fide diuina credendum, Euangelium Matthaei esse Matthaei atque Canonicum; quod tamen ex traditione constare fassi sunt aduersarii, vt alibi demonstrauimus. Vt interim taceam terminum illum *doctrinae*, à nobis in thesi

*...ol. praefat. ...11.*

thesi non fuisse vsurpatum, vt mentitur Hunnius, sed *fidei ac Religionis*, vt supra commemorauimus.

Secundo, pro hac re adducit Hunnius, thesin suam decimam, quæ sic sonat: *Qui dogmata quædam Religionis, quæ in sacris litteris nec expressè continentur, neq; inde bona consequentia deduci possunt, necessario credenda; aut cultus quosdam citra Dei verbum scriptum vel mandatum ab hominibus excogitatos ipsi Deo gratos, vel etiam meritorios esse opinantur; deniq; dissentientes hanc ob causam hæreseos insimulant, haud leuiter errare sentimus.* Sed respondetur, non ignorare Hunnium, conclusiones posteriores hypotheticas quantumuis particulares, nihil derogare prioribus vniuersalibus: ac proinde vtrasque vt sonant, accipiendas, has particulatim, illas generatim. Nec enim is, qui dixerit, Deum velle omnes homines saluari, si postea dicat, velle Deum saluari credentes in se, priorem restringit; sed vtraq; propositione diuersam aliquam veritatem asserit, hac particularem, illam vniuersalem. *Apol. pa. 478*

Tertio, ex secunda thesi nimis sanè quàm crassa siue imperitia, siue impudentia vrget Hunnius particulam *Præsertim*: tanquam si hæc præcedentem propositionem vniuersalem restringat. Sed de hoc supra & alibi fusi⁹, vt interim taceam, saltem in prima thesi de norma, nullam eiusmodi energeticam particulam reperiri. *Apol. præfat. cap. 11.* *Apol. pa. 225.*

Quartò, multas ex Colloquio Nostrorum sententias adducit, quibus et restrictè quandoq; asseruimus, scripturam non esse iudicem, aut vnicam normam *omnium articulorum & dogmatum fidei*. Sed frustra. Nam vt taceam, nos dum hoc ipsum assererem⁹, simul apertè significâsse, nos vocabula *dogmatis*, & *articuli*, multò latius vsurpare, quam ab aduersariis factitatum esse constat; id etiam Hũnij obiectionem prorsus eneruat, quod sanè distinctè vtrumque asseuerauimus, & generatim videlicet scripturam non esse iudicem aut normam vnicam *omnium controuersiarum fidei*: & speciatim non esse iudicem aut normam vnicam *omnium dogmatum & articulorum fidei*: ex quibus primum illud per hoc posterius nequaquam tollitur, sed constabilitur: Quisquis enim probat aut dicit, scripturam non esse iudicem, aut vnicam normam omnium dogmatum & articulorum fidei, is etiam hoc ipso probat aut dicit, scripturam non esse quoque iudicem, aut vnicam normam omnis doctrinæ fidei & Religionis. Vnde nos, quod hic diligenter obseruandum est, etiam cum restrictè asseruimus, scripturam non esse iudicem aut normam vnicam omnium controuersiarũ articulos & dogmata fidei concernentiũ, à generali thesi nostra iuxta statũ controuersiæ initio positum minimè recessimus; cũ ex ea ipsa propositione limitata negatiua, vniuersalis altera negatiua sequatur. At verò dum aduersarij ex propositione affirmatiua vniuersali, postea in de-

cursu Disputationis fecerunt particularem affirmatiuam, suamque illam generalem affirmatiuam amplius tueri nec voluerunt, nec potuerunt, aperte sanè à statu quæstionis initio constituto recesserunt: seu potius manifestè victi, in thesi illa sua vniuersali defendenda turpissimè occubuerunt.


rotoco. Mo- ac. pa. 243. Apol. pa. 222. Quintò. producit Hunnius illud ex Sessione 11. vbi diximus, *per traditiones non scriptas nos intelligere quædam præcepta seu constituta ad fidē seu religionem spectantia*. Appositè profectò. Quasi verò non omnes omnino traditiones nostræ, qualescunq; demum in Colloquio vrsim⁹, siue dicantur articuli & dogmata fidei, siue non, v.g. de Paschatis obseruatione, de perpetuitate B. Virginis, de non rebaptizandis baptizatis ab Hæreticis, de Pædobaptismo, de librorum Canonicorum authoritate, quod videlicet Euangelium S. Matthæi sit Matthæi, sit Canonicum &c. sint præcepta seu *constituta ad fidem seu Religionem spectantia*. Quasi verò non omnia præcepta, etiam de solis cæremoniis, aut de credenda qualibet historia à spiritu sancto tradita seu descripta, sint præcepta seu constituta ad fidem seu religionem spectantia, tametsi aduersarii alioqui ea minime spectare velint ad dogmata siue articulos fidei. Inepta sunt hęc planè & puerilibus crepundiis similia. Aut si mauis, desperatæ causæ desperatissima prçsidia.

Apol. pa. 219. Sextò, huc etiam spectat, quod ait Hunnius, ab initio PseudoEuangelii Lutherani, *quotiescunq; de norma Religionis disputatū fuit, perpetuò fuisse statum controuersiæ solūmodo de traditionibus Pontificijs, quippe cultum ipsum ac dogmata attingentibus, videlicet an hæ Pontificiæ traditiones, quas Papa & Asseclæ ad cultū referunt & pro articulis Christianæ fidei iactant, sint fidei & Religionis norma &c.* atq; adeo non generatim sintne omninò admittendæ vllæ traditiones pro regula fidei. Sed hoc falsissimum esse multis exemplis demonstrari queat; ex quibus duo suffecerint. Primum est Concil. Trid. Sess. 4. Kemnitij, qui vt Concil. Trid. generatim profitetur, se *traditiones ipsas, tū ad fidem, tum ad mores pertinentes, vel tanquam oretenus à Christo, vel à spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu & Reuerentia suscipere*; sic ipse, egregius scilicet Concilij examinator, generatim pronunciat, *insignis omnino audaciæ esse maiestati & authoritati scripturæ Canonicæ aliquid æquare*. Æquaretur autem aliquid, si quidquam extra scripturam traditum diuina ac infallibili fide credendum esset. Alterum est, Iacobi Andreæ Schmidelini, qui in Disputatione quadam, anno 1588. decimo Iunij Ratisbonæ habita, & apud Ioannem Burgerum typis impressa, hanc secundam thesin germanico Idiomate proponit: *Apud omnes pios indubitatum est, sacram scripturam noui & veteris testamenti, vnicam normam & regulam, diuinæ veritatis esse, iuxta quam omnes controuersiæ Religionis diiudicari ac decidi debeant.* Vnde patet,

tet, Fabrum iſtum eodem planè modo, quo Prædicantes initio fecerant, ſcripturam pro vnica norma fidei conſtituiſſe. Et quid opus eſt multis? omnes ruſtici doctrina Prædicantium imbuti, ſi nihil aliud ſciant, hoc tamen ſciunt, nihil diuina fide credendum, quod in ſacra ſcriptura non cõtineatur. Aut ſi hoc controuerſum non eſt; tunc palam quæſo edicat Hunnius, aliquid diuina ac infallibili fide credendum, extra ſcripturam; atque adeo ſcripturam S. non eam vnicam normam fidei.

## CAPVT V.

### *DE LOCIS DEVTERONOMII 4.5.& 12. PROHIbentibus, ne quid ad ſacrum Dei verbum addatur.*



Ametſi ex dictis ſatis colligi poſſit, non modo quàm turpiter aduerſarii in progreſſu Diſputationis principalis controuerſiæ ſtatum peruerterint, ſed etiam quàm abſurdè loca Deuteronomii 4.5.& 12. vbi prohibetur, ne quidquam ad verbum Dei ſcriptum addatur, ad ſui erroris confirmationem adduxerint; tamen quia Prædicantes ob ſtuporem hoc fortaſſe non ita intelligent, aut certè ex malitia minus ſe intelligere ſimulabunt, eſt id hoc loco paulo diligentius explicandum.

Et primo quidem illud generatim quaſi fundamenti loco præmittendum eſt, loca illa Deuteronomij nihil inter dogmata & articulos fidei & cultus, & inter cætera ad fidem & religionẽ ſpectantia diſtinguere. Vnde vel generatim ex eis concludendum erit, nihil neceſſariò credendum, aut faciendum, præter ea, quæ in Moyſis Pentateucho (de quo ibi ſermonẽ eſſe contendunt) ſtatuuntur, quod ipſimet tamen falsũ eſſe intelligunt: aut ne illud quidẽ ex eis per firmam aliquam Conſequẽtiam deduci poterit, eiuſmodi locis ꝓhiberi ne circa dogmata ſeu articulos fidei, aut cultus, addatur quippiam; modo tamen nihil circa religionẽ, cultũ, aut fidem fiat, quod Dei verbo expreſsè repugnet, vt ſæpius in Colloquio diximus. Vbi tunc quidem minimè opus erat, probare, noſtras traditiones ex diuina authoritate eſſe profectas, nec ſcripturæ aduerſas, *aut Pontifices eſſe* γνησίους *ſucceſſores Apoſtolorũ* (quos mentitur Prædicans *non fuiſſe auſos* alia quædã ſeruanda proponere, præter ea, quæ illis Chriſtus *ante ſuum ad cælos aſcensũ docenda præceperat*, contra expreſſum exemplũ Actor.15.) *eſſe pariter infallibiles, vt Apoſtoli fuerunt, &c.* ſicut ineptè putat Hunnius, ſimul & ſtatũ quæſtionis commutans, & ordinem diſputandi inuertens; cũ nobis tum quidem ſolum generatim incumberet, reſpondendo, non probando defendere, non ſcripturam ſolam, ſed etiam traditiones quaſdam pro fidei regula agnoſcendas eſſe; aduerſariis verò ipſis contrarium probare, non probationes eo tempore à nobis flagitare.

Iam

Iam verò Hunnius & hoc nostrum generale fundamentum subrue-
Apol. pa.225. re nititur. Quid enim? *Certè*, inquit, *si præcepta illa Deuteronomij. 4. 5. & 12. cominus aspiciamus, euincunt irrefutabiliter omnes singulæq; circumstantiæ, quod ea ῥητῶς, & omnino secundum subiectam materiam solum agant de ratione cultus, quomodo sit colendus & adorandus Deus, quid faciendum, quid omittendum sit, vt ei gratis obsequiis deseruiatur.* Sed vnde hoc adeo confidenter præsumit Prædicans, sine ratione, absque argumento & probatione vlla? Non ita est; sed primæ rationis locum obtinet istud; *Hoc*, inquit, *adeo perspicuum est, vt id sensus verborum animis hominum protinus insinuet.* Si hoc protinus neges, ad secundam procedit: *Nec poterit*, inquit; *Tannerus, si vel ilia ei crepent, alium scopum istorum Præceptorum Domini in omnem æternitatem elicere.* An verò satis probationis non habeo? Certè si mihi ilia crepent, nihil desiderem amplius. Sed Hunnij potius, non meum ventrem rumpet ista vanitas. Attendat sua peccata Hunnius. Vanus est primo, dum hic rursus vult & non vult, suum quem nobis toties obtrudit statum quæstionis tueri. Si enim vult, cur dicit, in iis locis Deuteronomij, *solum agi de ratione cultus*, quasi nimirum etiam de cęremoniis, vtique ad rationem cultus pertinentibus intelligenda sint: quasi prohibeant, ne vllæ omnino cæremoniæ ad cultus rationem pertinentes extra scripturam vsurpentur: cum tamen alibi cæremonias ad εὐσχημοσύνην spectantes, licet in scriptura non contentas, admiserit. Deinde cur articulos & dogmata fidei excludit? cur nullam eorum mentionem facit, quasi verò, quoad hæc non sit prohibita additio & detractio. Cur ergo non constanter dixit, his locis solum agi de articulis siue dogmatibus fidei aut cultus? An sponte rursus à suo statu quæstionis resilit? pro quo adeo fidenter pugnat? seque ipsum turpiter confutat? nec scit, quid dicat?

Si non vult statum illum suum quæstionis tueri, cur hæc adeo fi-
Apol. pa.220. denter pro illius defensione nobis obuertit? cur immediatè prius de his ipsis scripturæ locis differens dixit? *Cultui & dogmatibus* (nota Hunni) *hos cancellos præfinire voluit Dominus, vt ad cultum, quem ipse præcepit, nihil quidquam aliud, quod cultus aut dogmatis* (nota Hunni) *rationem habeat, adijciatur.* An non aduertit Hunnius, hæc sibi mutuò repugnare; agi illic *de ratione cultus, & quo modo sit colendus Deus*, & de cæremoniis non agi; agi *solum* de ratione cultus, & tamē etiam de articulis & dogmatibus fidei agi? Vanus est igitur, vt dixi, Hunnius, dum sibimet ipsi non constat in quæstionis statu circa ea loca Deuteronomij constituendo.

Sed & falsus est Hunnius, cum ait, agi illic *solum* de ratione cultus, non modo quia Hunnius ipse fatetur, etiam de articulis fidei & dogmatibus istic agi, sed etiam quia manifestissimum est, de cæteris quoque præ-
ceptis

ceptis moralibus atque iudicialibus ibidem agi, vt taceam cæremonias, quas sub ratione cultus comprehensas volo. Et vt huius assertionis specimen edamus, in illo ipso cap. 4. Deuteronomij vbi Deus versu secundo præceperat, id quòd contra nos vrgent aduersarij: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*; prius dixerat DEVS: *Et nunc Israël audi præcepta & iudicia &c.* Qua voce præcepta iudicialia, vt vocant, non cæremonialia ad cultum spectantia indicantur. Eodem capite versu quinto, rursus explicans Moyses præcepta, quibus nihil addendum sit, vocat, *Præcepta atque iustitias.* Et rursus versu octauo, *ceremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem.* Item versu decimo tertio, *verba quæ scripsit* (DEVS) *in duabus tabulis lapideis*; quarum tamen altera, vt omnes nôrunt, non tradebat rationem cultus, sed præcepta moralia erga proximum seruanda. Versu 14. *Ceremonias & iudicia.* Versu 45. *testimonia, & ceremonias, atque iudicia.*

Similiter Deuteronomij cap. 5. vbi legimus illud quod aduersarii nobis obiiciunt versu trigesimo secundo; *Custodite igitur & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram neq; ad sinistram*; sermonem esse de præceptis Dei omnibus, eo quidem tempore traditis, tam iudicialibus & moralibus, quàm cæremonialibus, apertissimum est ex contextu eiusdem capitis. Versu enim primo appellat ea Moyses, *Ceremonias atq; iudicia.* Versu 16. præcepta illa moralia secundæ tabulæ enumerat. Versu 29. vocantur, *vniuersa mandata* (DEI) *& ceremonia atque iudicia*; quem locum immediatè consequitur ille nobis ab aduersariis obiectus.

Capite 12. cuius versu 32. & vltimo legitur illud ab aduersariis decantatum; *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam nec minuas*: versu primo memorantur, *præcepta atq; iudicia*: versu 28. generatim decernitur: *obserua & audi omnia quæ ego præcipio tibi.*

Sed quid opus tam turpem falsitatem pluribus redarguere, quę vel ex illis ipsis locis Deuteronomij à Prædicantibus oppositis adeò manifestè redarguitur? Nam si ea *solum* agunt de ratione cultus, & modo Deum colendi, non etiam de omnibus aliis pręceptis iudicialibus & moralibus: ergò quantum est quidem ex parte huius loci, licebit addere ad verbum Dei scriptum & auferre ex eo, vbi & quatenus tradit præcepta iudicialia & moralia ad proximum spectantia. Item: ergo etiam iuxta hanc explicationem loci Deuteronomij 5. licebit non custodire & facere; imo etiam ad dextram & sinistram declinare, quoad præcepta iudicialia ac moralia erga proximum. Demum: ergo iuxta eam explicationem loci Deuteronomij 12. ab aduersariis producti, licebit hoc tantum facere, quod circa rationem cultus præcepit DEVS, omissis præceptis diuinis iudicialibus & moralibus erga proximum seruandis, quæ tamen haud multò pauciora

G sunt

ſunt iis, quæ circa cultum tradiderat DEVS. An ergo ſapis, Hunni? an ad illud tuum putidum figmentum refutandum cuiquam vel labia moueri, nedum ilia crepare debeāt? Indignum eſt ſanè à tam ſtolidis Thraſonibus mundum ludificari.

Sed nec illud quidem verè dixiſſet Hunnius, ſi dixiſſet, in illis locis Deuteronomij tantum de articulis & dogmatibus fidei ſeu cultibus agi. Omnia enim omnino præcepta, non ſolùm cæremonialia, ſed etiam moralia (in quibus etiam præcepta fidei) & iudicialia ad id quidem vſque tempus tradita eo loco, vt oſtenſum eſt, intelligibantur, in quibus plurima erant de rebus ſecundum ſe ac in ſpeciem leuiſſimis, verbi gratia de boue, ſi quem occiderit, lapidando Exod. 21. De non comedenda carne à beſtiis præguſtata Exod. 22. De non coquendo hædo in lacte matris ſuæ Exod. 23. De varii generis animalibus velut immundis non comedendis, & cæteris huius generis innumeris. Addo præcepta de certarum feſtiuitatum obſeruatione Exod. 23. Leuit. 23. De quibuſdam cæremoniis ſecundum ſe minutiſſimis in cultu obſeruandis, variiſq; immunditiis cauendis, de quibus in Leuitico & Deuteronomio paſſim. His ergo vetabat DEVS quidquam addi, aut detrahi: quo ſenſu? an quia nihil omnino circa iudicia, mores, fidem, cultum, aut cæremonias fieri, vel etiam per legitimam authoritatem ſtatui poterat, niſi in verbo ſcripto expreſſum, vt Hæretici velle debent. Stultum eſt hoc etiam de veteris, nedum nouæ legis tempore cogitare, & à nobis multis exemplis, de quibus infra dicitur, euidenter refutatum. An quia ſub ratione cultus & dogmatis ſeu articuli fidei addi quidquam prohibitum eſt? ſtultiſſimum; non ſolùm quia, vt dixi, loca illa vniuerſim reſpiciunt, omnis generis præcepta, etiamſi cultum aut articulum fidei ſtrictè, vt aduerſarii volunt, loquendo, nullum contineant; ſed etiam quia hinc conſequens foret, detractionem quoq; ſolum prohiberi, quoad cultus & dogmata: (cum eorum etiam ſententiâ, ad eadem referatur detractionis & additionis prohibitio.) Quoad cæremonias verò bonum Eccleſiæ ordinem ac decorem concernentes, & quaſdam alias circumſtantias ſeu actiones, nullum cultum aut dogma fidei conſtituentes, & nihilominus tamen à Moſe præcepta, non prohiberi, quod vt patet, abſurdiſſimum eſt. Quid ergo tandem ſibi vult illa tam detractionis, quàm additionis prohibitio? Illud ſcilicet, quod toties in Colloquio dictum eſt, ne, ſeu noua ſanctione, ſeu in ipſa praxi & operatione eis, quidquam contrarium addatur, vel etiam de iis quoad vllam circumſtantiam præceptam, quidquam diminuatur; quin potius vt omnia integrè, exactè, perfectè, inuiolatè obſeruentur. Hoc indicant verba, hoc euincit contextus, hoc vniuerſa ſcripturarum harmonia demonſtrat. Hunc ſenſum admittit etiam particula

TAN-

TANTVM, quam licet nos libenter in latina versione vulgata eaque authentica retineamus; illud tamen interim concedere nobis debent aduersarii, tam secundum nostra, quàm secumdum suamet principia, vt eam secundum textum Hebraicum & Græcum, in quo verbo tenus non extat, interpretemur; vt videlicet per illam vocem SOLVM excludantur ea, quæ sunt contraria legibus, ad id vsque tempus præscriptis, vt supra dixi, & pluribus in Colloquio explicatum est; Minimè verò vt excludantur cætera, quæ postea legitima authoritate vel extra, vel intra scripturam præcepta sunt, vt ineptè existimasse videtur Hunnius, ex suis figmentis, non ex nostris prænunciatis labyrinthum exstruens. Illud præterea ferre quoq; debebunt aduersarii, vt liberè dicamus, eos stolidissimè præcipuum suæ causæ firmamentum in hac voce tantum posuisse, quàm ipsi tamen iuxta sua principia pro scripturæ voce habere non possunt. *Apol. pag. 71*

Hæc verò cum ita sint, ex eo tamen multò etiam magis enitescit stultitia Prædicantium, dum ea loca Deuteronomij contra Ecclesiasticas traditiones tanto verborum strepitu contorquent; quod, vt ex dictis colligi potest, prohibitio illa additionis seu detractionis adeo nihil ad nouam legem pertinere potest, vt si quis præceptum eo sensu, quo Iudæis traditum est, obseruare iam vellet, manifestæ impietatis reus ageretur. Siue enim illis locis præcipiatur, ne quis præter ea, quæ in Pentateucho continentur, aliud, seu in ratione cultus, seu in articulis & dogmatibus cultus aut fidei obseruet, vt Hunnius vario tempore variè dixit; siue vt ego generatim dixeram, ne quis omnino seu omissione, seu commissione quicquam eis aduersum faciat, nunquam sanè Christianus, sed potius Iudæus fuerit ille, qui eiusmodi præcepta exequutioni mandare velit; imò ne Iudæus quidem, nisi profanus, quandoquidem manifestum est, etiam Iudæis plura circa Religionem obseruanda fuisse, quam quæ in solo Pentateucho continentur; vt infra etiam patebit.

Quocirca necessario dicendum est, vt cætera præcepta, quibus addi detrahique omnino quicquam (modo superius explicato) vetabat DEVS, iam in noua lege exoleuerunt, ita hoc ipsum quoque Mosaicum præceptum adæquatè spectatum de vitanda additione, siue detractione ad Christianos nouæ legi subiectos non pertinere.

Hoc ipsum verò in Colloquio ex eo etiam confirmaui, quia nusquam legatur præceptum Apostolis, vt ea, quæ in nouo testamento ad cultum, fidem, & mores spectant, (consimiliter vt in veteri testamento Mosi mandatum erat) literis mandarent; Quod verissimum esse, hoc ipso fateri debent aduersarii, quod nullum hactenus præceptum tale ostendere potuerunt.

Sed vult Hunnius, hoc ex eo colligi, quia alioquin longè fuisset incertior religio Christiana in hac diuersissima tot populorum varietate ac multitudine, quàm in veteri testamento. Sed hoc futile est, quasi verò certitudo Religionis pendeat à scriptura; quasi verò non etiam scripta suppofititia sub prætextu scripturæ, vt adulterinæ traditiones sub prætextu traditionum in Ecclesiã irrepere possent, nisi DEVS Ecclesiæ Rector desuper pro suæ sponsæ incolumitate inuigilaret. Tolle ergo diuinam prouidentiam ac paternam curam de Ecclesia sua, & incerta sunt omnia. Non tollis? iam tãto pręside ac Rectore salua ac firma sunt omnia; eoq; in Ecclesia Christiana magis, quo maiorem gratiarum copiam in Ecclesiam per spiritum sanctum diffudit, firmiusque suum præsentiæ diuinæ præsidium Apostolis cæterisque Ecclesiæ Rectoribus adpromisit, qui pro diuersitate locorum, personarum, temporum, diuersas etiam circa mores & cultum leges ad populi Christiani commune bonum attemperare possent; cùm è conuerso difficillimum foret, orbem vniuersum earundem omnino, (etiam quoad mores, iudicia, & cæremonias) legum fræno regere. Et verò ineptè Hunnius consensionis atque concordiæ firmitudinem in vnius scripturæ communione collocat; quasi verò rumpendam, si non omnia præcepta fidei & cultus essent in sacra scriptura descripta. Consensionem scilicet esse in Ecclesia oportet, non quasi iisdem omnino morum ac cæremoniarum institutis viuere debeant omnes; sed quia sane ex his pleraque apud omnes eadem esse debent, & simul etiam quoad fidei doctrinam, vndequaque concors omnium sententia. Quæ quidem consensio vnius capitis visibilis in terris vnitate maximè conseruatur, non item vnius scripturæ communione, vt luce clariùs ex aduersariorũ quotidiana experientia discimus, qui cum omnes vnam scripturam, & quidẽ pro vnica norma, ac iudice fidei iactitent, non magis tamen inter se conspirant, quàm ignis cum aqua sociatur.

*...olo pa. 308.*

*...pol. pa. 309.*

Neque vero illud quod de diuersitate legum diximus impium esse pronunciasset Hunnius, acsi impiè negaret, paschatis, aliarumque Christianarum festiuitatum solemnitatem aliter atque aliter in Ecclesia celebrari consuetam, esse Christiani cultus partem, aut nisi adeo impudenter mentiri collibitum ei fuisset, vt diceret, *tẽpore primitiuæ Ecclesiæ solum inuocatum fuisse Deum, non sanctos defunctos, nullas cultas imagines, nullam celebratam fuisse missam, commendatum & in vsu fuisse coniugium Episcoporum* (quale nimirum ab isto hircorum genere desideratum ne per somnium quidem cogitauit Paulus 1. ad Timoth. 3. Tit. 1.) *nihil doctum fuisse de merito congrui & condigni, nihil de operibus super erogationis, nihil de purgatorio, & infinitis alijs.* Vbi tot ferè sunt mendacia, quot verba: de quib. plura infra.

*...pol. Hun. p. ...o.*

*...d. Bellarm. ...e sacrificio ...issæ & in...ocatione San...orum.*

Quod si rem penitius inspiciamus, planè apparebit, hoc argumentum,

tum, quod à bono ordine Ecclesiæ desumptum nobis obtrudunt aduersarii, contra nos directè & planè ex aduerso pugnare. Cum enim constet Deum in Synagoga plus quàm sexcentis legibus, tam quæ ad cultum, quàm quæ ad mores ac iudicia pertineant, prolixissimè complexum esse, etiam quoad minimas omnium rerum circumstantias; & verò Ecclesiæ Christianæ vix paucissima præcepta scripto commendârit, quibus Christiani populi mores & cultus conformarentur, quis credat, eum Ecclesiæ Christianæ cultum adeo angustis terminis definitum, aut potius ita ab omni legis vinculo solutum, atque adeo dissolutum esse voluisse, vt præter Sacramenta à se instituta, eaque vt Sectarii volunt duo tantum, aut tria, & Prædicationem doctrinæ scriptæ, prohibuerit etiam per legitimos Ecclesiæ Prælatos vlla præcepta ad cultum, cęremoniasque spectantia, verbi gratia, de celebratione quarundam festiuitatum annuâ, de modo ritè administrandi Sacramenta &c. adiici vel adiecta sub opinione necessitatis obseruari. Neque hæc sanè est libertas Christiana, opposita seruituti, quam damnat Paulus de seruitute legis Mosaicæ, hæresisque Simoniacæ & Gnosticorum loquens Gal. 5. Colos. 2. Sed est potius libertas carnis & Antichristiana, eiusmodi hominum, qui *prurientes auribus, à veritate auditum auertunt*; quales etiam alibi Apostolus in nouissimis diebus futuros prædixit, *homines seipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, blasphemos, parentib. non obedientes, ingratos, scelestos, sine affectione, sine pace, criminatores, incōtinentes, immites; sine benignitate, proditores, proteruos, tumidos, & voluptatum amatores, magis quàm Dei habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos*, inquit, *deuita*. Libertas Euangelica est, liberū esse à seruitute legis Moysaicæ, Gal. 5. Tit. 15. Sed non hoc *tantum*, vt à nobis dictum malignè interpretatur Prędicans, sed etiam à seruitute Diaboli, & seruitute peccati. Rom. 6. & 8. *2. Tim. 3.*

Neque verò paruum est beneficium illud, à iugo legis Moysaicæ liberatum esse. Etenim cum in lege veteri numerent viri doctissimi præcepta per Moysen tradita sexcenta tredecim, nimirum affirmatiua 248. quot in homine ossa medici numerant: negantia vero 365. quot anni dies numerantur; iam Ecclesiæ præcepta, Christiano populo communia, non solum per se vtilissima, & facillima, sed eorum etiam respectu paucissima sunt; vt merum sit mendacium Hunnij, *populum Christianum sub Papatu longè pluribus onerari constitutionibus, ritibus & ceremonijs*, quàm in vetere lege factum fuerit. Sicut etiam hoc turpissimum mendacium est, cum ait, *præ his constitutiunculis sic auctis populum necessaria capita doctrinæ Christianæ non potuisse addiscere.* Nempe quia populus ieiunare cogitur, pluresque dies festos celebrare, quàm placeat Hæreticis, ideo non habent otium discendi capita fidei, Lutheranæ videlicet illius & infidæ fidei. Ne-

que verò aliter Prædicantes legibus Ecclesiæ refragantur, quàm Aërius olim, qui teste Epiphanio Hæresi 75. consimiliter, vt nostri Lutherani, dicebat. *Non erit, ieiunium ordinatum, hæc enim iudicia sunt, & sub iugo seruitutis. Iusto enim lex non est posita. Si vero volo ieiunare, eligam diem à me ipso, & ieiunabo propter libertatem.* Sic planè etiam Lutherani. Quod si, vt ait Hunnius, cultus noui testamenti à sancto Paulo insinuatur, prima ad Corinth. 7. cum ait, *Circumcisio nihil est, sed obseruatio mandatorum* DEI; tum profectò cultus etiam consistet in obseruatione mandatorum Ecclesiæ, vtpote, cum hoc ipso DEVS, grauissimè per se suosq; Apostolos mandauerit, Præpositorum Ecclesiæ mandatis obtemperandum esse. Matth. 18. Hebr. 13. 1. Petr. 2. Illud vero Act. 15. quod obiicit Hunnius, *Visum est spiritui sancto & nobis, &c.* tantum abest, vt huic doctrinæ quidquam obstet, vt ei potius maximum robur addat. Nam si Apostoli libertatem Christianam non violarunt, præcipiendo quædam præter ea, quæ à Christo, aut in scriptura Christianis alioqui præcepta erant; cur libertatem Christianam violent Apostolorum successores Episcopi, dum leges itidem salutares Ecclesiæ sanciunt? Neq; refert quod Apostoli dixerunt, *Visum esse spiritui sancto* & sibi, *nihil vltra imponere oneris, &c.* Controuersia enim erat, de præceptis legis Mosaicæ, è quibus paucula tantum illa eo quidem tempore Apostolis visa sunt nouo præcepto Christianis iniungenda. Quo non obstante Apostolos alia deinceps plura ad cultum & disciplinam Ecclesiæ Christianæ spectantia, constituisse, dubitare nulla ratione possumus, id & scriptura & SS. Patribus magno consensu adeo luculenter contestantibus. Sed de hac re plura infra. Interim ea, quæ ad sensum locorum illorum Deuteronomij spectant abunde hactenus explicata esse existimo.

Apol. pa. 231.

## CAPVT VI.

### *DE SCRIPTVRA QVATENVS FIDEI NORMA est, eiusq; perfectione.*

PRomisi initio, me ad certos quosdam & communes locos reuocaturum ea, quæ contra Hunniani Apologetici imperitiam, aut malitiam disserenda essent. Postquam ergò quædam generalia peccata Prædicantium in eo genere commissa exposuimus, atque ea occasione etiam de locis illis Deuteronomij, de quibus potissima erat controuersia, egimus, restat vt locos cæteros magis speciales nunc aggrediamur. Et quidem

dem ad ſcripturam quod attinet, nimis ſanè quàm impudenter ſe gerit Hunnius, vt Lectori perſuadeat, nos ſcripturam ſacram in Colloquio contempſiſſe, ſacrilege odiſſe, iactiſque blaſphemiis dehoneſtaſſe, nimirum quia diximus ſcripturam ſacram propriè non eſſe iudicem, nec vnicam normam, omnia quæ credenda ſunt expreſsè continentem, nec ita per ſe ſufficientem, vt ad damnandas hæreſes ſola per ſe valeat: quod cauendos diximus eſſe Hæreticos, qui ſcripturæ ſententiis tanquam veſtimentis ouium inuoluti fidelibus inſidiantur; quod traditiones eiuſdem authoritatis eſſe cum ſcriptura diximus; quod teſtimonia ſcripturæ, de quibus non conſtabat, an & quo modo ab aduerſariis producta eſſent, finito iam Colloquio, pro libitu aduerſariorum, Protocollo inſeri, paſſi non ſumus, quod aduerſariorum informes declamationes ac reſponſa, vtcunque tandem detortis ſcripturæ ſententiis aſperſa, vocauimus conciones extra formam, ac tergiuerſationes contra diſputandi leges, neque eas, quoties extra inſtitutum voluerunt aduerſarii, admiſimus, quod ob reuerentiam ac maieſtatem ſcripturæ pacemque & conſenſionem Eccleſiæ expedire non ducimus, vt quauis lingua vulgari, quibuslibetè vulgo rudibus ac imprudentibus hominibus (qui nimirum ſi ſcripturas per ſe legant, aut non intelligunt, aut malè intelligunt, cum tamen eas ſi concionatoris ore explicatas audiant ſimul etiam intelligere doceantur) legenda exhibeatur ſcriptura; etſi non prohibet Eccleſia Catholica ſacris linguis deſcriptas à quolibet legi; quod nec hoc ipſum quidem ex ſcriptura ſacra ſatis concludi poſſe diximus, quod ſit aliqua ſcripura ſacra, quod libri Moyſis ſint Moyſis & Canonici, quod exemplo Pilei & cornuum declarauimus, non ideo imperfectam eſſe ſcripturam, tametſi non omnia Religionis dogmata contineat. &c. quod nullam hæreſin ex ſola ſcriptura, ſepoſita infallibili Eccleſiæ authoritate, ſufficienter refutari diximus, atq; adeo nec Arianorum, neq; Neſtorianorum, neq; Eutychianorum, nec Ebionitarum: cum ſemper ex traditione aliqua Eccleſiæ infallibili prius conſtare debeat de ipſamet ſcriptura quod ſit Canonica, atque adeo etiam de Euangelio Ioannis, quod Canonicum ſit, priuſquam vlla hæreſis ex eis ſufficienter refutari poſſit, quam rem *Apol. pa. 233.* etiam velut blaſphemiam execrabilem nobis obiicit Hunnius, illud etiam per apertiſſimam calumniam mentiens, quaſi ſcripturas ab aduerſariis productas 3. part. Relat. cap. 2. vocauerim *vaniſſimas nugas*, cum nequaquam de ſcripturis ipſis, ſed de conſequentiis atq; obiectionibus *Apol. p. 464.* Prædicantium ex iis ineptè exſtructis locutus fuerim. Annon hæc omnia egregiè demonſtrant, nos ſcripturam odio habere, flocciq; pendere? Imo annon hæc ipſi potius probant, aduerſarios eſſe ſcripturæ ſacrilegos irriſores, qui ſcripturam male ſanis priuatorũ interpretationibus ſubiiciunt,

qui

qui contempta Ecclesię authoritate scripturas ad impia sua placita ac figmenta detorquere fas sibi esse volunt, qui scripturam sacram non alio loco habent, quàm eam omnes Hæretici habuerunt, & sic quantum in se est, omnibus quasi hæresibus viam patefaciunt, qui nec hoc ipsum quidem scripturæ credunt, quod toties de se ipsa testatur, traditionibus Ecclesiæ non minus quam scripturæ acquiescendum esse, authoritatem Ecclesiæ in controuersiis compellandam; non ad scripturam contra Ecclesiam, tanquam ad iudicem prouocandum. Sed de singulis illis pronunciatis, vt etiam de quibusdam calumniis & mendaciis Hunnij, quæ hac de re in suo Apologetico repetit, alibi disseruimus; præsertim verò vniuersim de authoritate scripturæ ad hæreses refellendas, in examine Hunnianæ Relat. ca. 12. & 20. Vbi etiam fictitias illas Antilogias Hunnij, quas in suo Apologetico nobis obiicit, refutauimus.

*Matth. 18.* *Apolo. pag. 86. 87. 88. 92. 97. 98. 157.*

Hic satis est breui quadam synopsi nostram hac de re sententiam Lectori ob oculos ponere, vt eam vno quasi intuitu cernat.

Dicimus igitur 1. sacram scripturam, seu verbum Dei scriptum esse infallibilem regulam normamque præcipuam fidei.

2. Seposita tamen aliqua infallibili traditione atque authoritate Ecclesiæ, certa fide constare non posse, an & quæ sit sacra scriptura: etsi alioqui scripturæ sanctitas, maiestas ac infallibilitas secundum se ab Ecclesiæ testimonio ac traditione minimè dependeat. Quam rem toties à nostris explicatam, adhuc tamen se non intelligere simulat Hunnius. Nimis vel stupidus, vel malitiosus.

*Apolo. pa. 58.*

3. Non omnia decreta fidei & Religionis in scripturis expresè ac in specie contineri; licet in genere ac implicitè, & quodam modo in Ecclesiæ authoritate inuoluta omnia in scripturis contineantur, non quidem vt inepta petulantia ludit Hunnius, in illis pręcisè verbis, *Dic Ecclesiæ*: Sed in consequentibus; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.

*Matth. 18.*

4. Quoad ea verò, quæ in specie continet, in quibusdam locis satis, esse claram; ita, vt etiam ex sola scriptura (supposita tamen authoritate Ecclesiæ scripturam proponentis, quam superius diximus esse necessariam) sine aliis traditionibus aut decretis Ecclesiæ multi errores ita conuinci possint, vt supposita scripturæ authoritate prudenter illis adhærere nemo possit.

5. At verò, in multis locis, etiam vbi necessaria fidei dogmata traduntur esse obscura; eamque obscuritatem oriri etiam interdum ex ipsamet collatione scripturæ, licet alioqui locus aliquis per se consideratur manifestus esse videatur; quod Caluinistæ experiuntur, circa illum locum:

eum: hoc est corpus meum, qui cum per se planissimus sit, adhibita tamen scripturarum collatione, eis fit obscurissimus.

6. Vnde colligimus, nullam quidem hæresin ex sola scriptura, seposita authoritate Ecclesiæ scripturæ proponentis posse sufficienter refutari: quin etiam dogmata quædam, siue quod in scripturis speciatim nullo modo traduntur, siue quod non nisi obscurè traduntur, ex sola scriptura, sine authoritate Ecclesiæ scripturam non modo proponentis, sed etiam explicantis, colligi satis non posse: attamen quasdam hæreses adeò manifestè scripturæ aduersari, vt ex ea sola (supposita tamen semper authoritate Ecclesiæ scripturam proponentis) satis firmiter confutari possint. Quibus adiungo, posse nihilominus omnia argumenta, quæcunque ab aduersariis ex scriptura aut aliunde contra doctrinam Catholicam adferuntur, euidenter solui; talibus videlicet responsis, quibus cuique prudenti euidens fiat, se eiusmodi argumentis moueri non debere. Quin etiam hoc addo; nullum ex omnibus Hæreticorum figmentis ita ex scripturis vnquam probari posse; quin contraria Catholicorum sententia, longè aptius & certius ex scripturis seu mediatè seu immediatè confirmari queat. Atque hæc summa est eorum quæ sparsim in Colloquio diximus, ex quibus omnes Hunniani cerebri contradictiones nobis pueriliter impactæ in ventum abeunt. Illud nunc sequitur, vt ea quæ ab Hunnio circa scripturam, quatenus norma est, passim in Apologetico differuntur, excutiamus.

Scripturá igitur esse normam vnicam ex loco Esai. 8. *Ad legem magis & testimonium; si non dixerint, iuxta verbum hoc non erit eis matutina lux*: planè sibi demonstrasse videtur Hunnius hoc argumento: *si Deus ita remittit ad legem & testimonium, hoc est, ad verbum scriptum, vt simul enunciet, non habituros matutinam lucem, qui non dixerint iuxta verbum hoc, omnino sequitur, verbum scriptum esse normam vnicam in rebus ad fidem & religionem pertinentibus attendendam; Prius est verum ex verbis Isaiæ: verum igitur & posterius.* Laudo formam Hunni; sed nego sequelam maioris propositionis. Probas, quia *iuxta legem* est idem, quod *iuxta normam huius legis*: ergo vis dicere, si omnia quæ ad fidem, cultum & religionem spectant, iuxta legem erant facienda: etiam iuxta normam legis omnia facienda erant: Concedo hanc sequelam Hunni: sed quid tum? Ergo scriptura erat vnica norma? sed nego rursus hanc consequentiam, tanquam futilem prorsus ac ineptam: Etsi enim omnia iuxta scripturæ normam erant facienda, non tamen ideo scriptura erat vnica norma, nec ideo sequitur, nihil faciendum in rebus cultum & fidem concernentibus, nisi in scripturis expressum. Cum hoc ipsum etiam, quod secundum normam traditionum legitimarum fiebat, ex consequenti etiam factum sit iuxta nor-

Isa. 8.

Apol. pa. 230.

mam ſcripturæ,conſtituta maiorum traditioneſque non ſcriptas(quæ tamen ſcriptæ legi non aduerſarentur)generatim commendantes. Miraris quomodo id quod extra ſcripturam fit, iuxta ſcripturæ normam fieri dicatur. Nihil mirum Hunni. Rationem audiiſti; exemplum accipe, quod ipſe quoque vſurpas, ſed inepte accommodas. Dicuntur omnia, verbi gratia, quæ à Principibus Imperii circa politiam fiunt,fieri ſecundum ius Cæſareum: neque tamen ideo ius Cæſareum dicitur vnica norma omnium actionum politicarum:cum præterea quoque leges municipales,& cætera decreta Principum,Cæſareo iuri conformia, quin etiam in eo generatim commendata,pro norma agnoſcenda ſint. Ita ergo in rebus ad religionem ſpectantibus, licet omnia fieri debeant iuxta ſcripturæ normam, non tamen ſequitur, ſcripturam eſſe vnicam normam: cum etiam facta ſecundum aliam quandam normam,ab ipſa ſcriptura,vt dixi,generatim commendatam,fiant etiam ſuo modo ſecundum ſcripturæ normam. Intelligis,Hunni? Interim quæ circa particulam hanc, *iuxta legem*,hîc à me dicta ſunt,notabis etiam pro alijs tui Apologetici locis,vt à ſtolido tui capitis Labyrintho te expedias. De ipſo verò Iſaiæ loco, & ad quam abſurditatem ( de pluribus Diis ) eius occaſione adductus fuerit Hunnius,alibi plura diximus. Sicut etiam de nouo illo argumento Hunnij, quod pagina 292. pro tertio ſuo argumento in Colloquio propoſito obtrudere nititur.

*Apolo. pag. 81*

*Apolo. pag. 80. 1. 90.*
*Apol. Præfat. cap. 6.*
*Exam. Hun. Relat. cap. 16.*
*Apol. pag. 150. & 151. &c.*

Secundo vrget Hunnius paſſim illum ſcripturæ locum 2. ad Timoth. 3. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum,ad corrigendum,ad erudiendum in iuſtitia,vt perfectus ſit homo Dei,ad omne opus bonum inſtructus.* Ex quo Hunnius in hanc ſententiam argumentatur. *Scriptura liber ob hoc ipſum ſcriptus eſt,vt ex eo erudiamur ad æternam ſalutem. Ioan. 20. Et citata 2. ad Timoth. 3.* Ergo *profanè* impius ac *blaſphemus* eſt, quiſquis dicit, *Deum voluiſſe,vt non omnia contineat,quæ ad doctrinam,ad ἔλεγχον,ad correctionem, ad inſtitutionem in iuſtitia, conſolationem & ſalutem pertinent.* Reſpondetur diſtinguendo cõcluſionem, ne alienus quæſtionis ſtatus,vt tentare videtur Hunnius, conſtituatur. Si enim velit ſcripturam debere omnia religionem ſpectantia ſaltem aliquo modo continere, quædam ſcilicet explicitè, alia implicitè duntaxat, monſtrando videlicet authoritatem ſiue normam aliam, ex qua reliqua colligantur,tunc concedo ſanè concluſionem, vt quæ nobis minimè aduerſatur. Sin autem velit, debere eam omnia in particulari & expreſsè continere, ita vt citra infallibilem aliquam Eccleſiæ authoritatem ex ea infallibiliter atq; ſufficienter omnia ad fidem aut religionem ſpectantia, poſſint & debeant colligi, tunc nego conſequentiam, vtpote quæ ipſorũ etiam aduerſariorum ſententiâ falſa eſt; qui in Colloquio fateri coacti

fuerunt,

fuerunt, non omnia quę necessario credenda sunt in scripturis contineri. Hunc diuersum modum, quo scriptura quidpiam continere potest, si voluisset intelligere Hunnius, nec tam stolidè contradictionem in suo cerebro confictam nobis obiecisset pag. 83, neque tam impudenter nos de blasphemia sugilasset. Iam verò quia aduersarii cæca temeritate, quidquid in buccam venit effutiunt, & simul sibi ipsis fiunt contrarii, & in Deum blasphemi; dum Dei consilium temere improbare audēt, eique quasi præfigere, vt quia scripturam aliquam ad nostram instructionem extare voluit, omnia quæ ad doctrinam pertinent, in ea oppresse debuerit exponere. Quasi verò satis non sit (quod tamen etiam tum ad discendi commoditatem, tum ad meliorem subordinationem conuenientius est) in quibusdam rebus ad fidem & cultum spectantibus, solum ostendisse magistrum, discendiq; formulam commonstrâsse. Quanto sapientius Dionysius ille Areopagita, Apostolis σύγχρονος, in suo libro de Ecclesiastica Hierarchia. *Erat*, inquit, *Ecclesia necessarium, vt Apostoli, qui fuerunt primi duces nostræ Hierarchiæ, repleti spiritu sancto, à supersubstantiali Deitate, missi ad nos à diuinâ bonitate, vt ipsum spiritus donum ad alios sibi adhærentes, & ipsorum sequaces producerent: ipsi etiam tanquam* DEO *pleni copiosè amantes inferiores, & sequaces suos, sursum agentes nos in Deificationes*, SECVNDVM SANCTAS ORDINATIONES *nobis traderent doctrinis scriptis &*, NON SCRIPTIS *in signis sensibilibus supercælestia, in varietate & multitudine conclusa, vnita in humanis diuina, in materialibus immaterialia, in his quæ secundum nos sunt, supersubstantialia; & hoc non tantum ea de causa, vt veritas celetur immundis, quibus non licet sancta tangere, sed quia (vt dixi) nostra Hierarchia indiget sensibilibus signis, ad hoc, vt per ipsa efficacius sursum agamur ad intelligibilia, secundum nostram capacitatem &c.* In eandem sententiam pulchrè quoque disseruit S. Basilius, *Dogmata*, inquit, *quæ in Ecclesia seruantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet. Si enim aggrederemur, non scripto proditas consuetudines, velut non magnam vim habentes reÿcere, imprudenter etiam ipsis principalibus, Euangelÿ partibus damnum inferremus, imò potius* (Nota Hunni) *ipsam Euangelÿ prædicationem ad nudum nomen contraheremus. Velut, verbi gratia, vt eius, quod primum ac communissimum est, primam mentionem faciam, figura crucis signare eos, qui in nomen Domini nostri Iesu Christi spem habent, quis scripto docuit? Ad orientem conuersos esse nos dum oramus, quæ scriptura nos docuit? inuocationis verba dum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto*

*Dionys. Areo Eccles. Hier cap. 1.*

*S. Basil. lib. de Spir. sanct. c. 27*

*nobis reliquit? non enim his contenti sumus, quorum Apostolus mentionem fecit, sed & ante & postea alia quadam dicimus, velut magnum robur ad mysterium habentia, ex doctrina scripto non prodita assumpta. Benedicimus aquam Baptismatis & oleum vnctionis, insuperq; ipsum qui baptizatur, ex quibus scriptis? nonne ex tacita & arcana traditione? Ipsam verò olei illitionem, quæ doctrina scripta docuit? at ter immergi hominem vnde est? Reliqua item quæ circa Baptisma fiunt, renunciare Sathanæ & Angelis eius, ex qua sunt scriptura? nonne ex hac non publicata & arcana doctrina, quàm in minimè curioso ac solicito silentio Patres nostri consecrârunt; Rectè illi, vtpote docti, mysteriorum reuerentiam, authoritatem silentio custodiri? Quæ enim ne inspicere quidem fas erat, non initiatis, horum doctrinam, quo modo par erat in litteris velut in triumpho ostentare? Aut quid tandē volens magnus ille Moyses non omnib. omnia templi loca peruia esse statuit, verū extra sacra septa profanos locauit, prima verò atria paucioribus permittēs, solos Leuitas dignos Dei ministros indicauit. Victimas verò & holocausta, ac reliquam sacrorum celebritatem Sacerdotibus assignauit, vnumq; ex omnibus delectum in adyta admisit, & neque hunc semper, sed vna solùm anni die, atq; huius hora certâ ad ingrediendum ipsi constituta, quò propter nouitatem & insuetudinem cum maiore admiratione inspiceret sancta Sanctorum: qui probè gnarus ex sapientia sua ei quod conculcatum (scitum) est, & per se apprehendi potest, imminere contemptum: quod vero remotum est ac rarum, etiam naturaliter quodammodo esse coniunctam admirationem. Ad eundem modum, etiam hi qui ab initio, res Ecclesiasticas sanciuerunt, Apostoli & Patres, in occulto ac silentio mysterijs authoritatem conseruârunt. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc ratio, cur aliqua tradita sint citra scriptum, vt ne dogmatum cognitio neglecta fieret, & in contemptum veniret, apud vulgus propter consuetudinem. Aliud enim est dogma, & aliud prædicatio; dogmata enim silentur, prædicationes vero publicantur.* Ita Basilius. Vbi etiam pro suo Labyrintho notabit Hunnius, Apostolos non omnia ad religionem & cultum spectantia populis prædicasse, atque adeo præter eiusmodi verbum prędicatum, esse adhuc verbum quoddam nec scriptum, nec prędicatum, sed in silentio traditum. Et quid ad hæc respondebit Hunnius? an etiam S. Basilium blasphemum dicet, dum asserit Deum non voluisse omnia dogmata ad cultum & religionem pertinentia scriptis mandari?

*Apol. pag. 79.*

Quod si Deum blasphemat ille, qui negat scripturam per se solam esse sufficientem ad eum finem, ob quem alioquin in lucem edita est, cur non & ipse Hunnius cum suo grege blasphemus quoque, & ter quaterq; blasphemus sit, qui cum ex citato loco 2. ad Thimoth. 3. asserat, scripturam nobis traditam esse ob quatuor fines, quorum primus est *διδασκαλία*, doctrina. 2. ἔλεγχος, redargutio. 3. *ἐπανόρθωσις, καὶ παιδεία*; correctio & instru-

instructio. 4. æterna salus: ad nullum tamen ex his sufficientem esse finit. Si enim per se sola sufficiens est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum & instruendum, cur adhuc ipsi quoque docent? cur arguunt? cur corrigunt? cur instruunt? cur tot Catechismos edunt? cur tanto boatu cathedras, Typographias chartis implent? cur non tacent? cur se ipsos & ministerium totum è medio non tollunt? cur proprium hunc, vt aiunt, scripturæ honorem ac laudem sibi vendicant? cur præripiunt? cur diminuũt? cur quod verbis ei tribuunt, facto derogant? Rursus si ad salutem sola sufficit, cur fidem quoque & Sacramenta ad salutem necessaria esse prædicant? quod si ad hunc postremum finem, ad salutem, inquam, non esse sufficientem fatentur (vt sane fateri debent, nisi manifestè Athei esse velint) cur per se solam sufficientem esse contendunt? ad docendum, ad arguendum &c. cum Apostolus omnes illos fines, eodem verborum tenore, sine discrimine coniungat? si verò etiam præter scripturam suum ministerium verbi ad docendum & arguendum putant esse necessarium, tametsi ipsimet fateantur, id absolutè infallibile non esse; cur nobis velut execrabilem blaspemiam exprobrant? quod præter scripturã ad docendum, & arguendum necessarium dicimus esse ministerium Ecclesiæ, cum infallibili authoritate coniunctum? Annè hæc sunt Christianæ prudentiæ, ac zelo bono inflammatæ Religionis iacula? an stultæ impietatis & vecordis amentię bruta fulmina? Esto sanè perfecta sit in suo genere scriptura, nulla videlicet debita perfectione destituta, vt sæpius alibi diximus, an ideo sufficiẽs ad hæc erit? sit vtilis ad docendum, ad arguendum, ad hæreses conuincendas, potuerit sanè instruere Timotheum ad salutẽ, vt ait Apostolus, an ideo sufficiens ad hæc dicenda erit? sine magisterio Ecclesiæ? sine traditione, qua prius de ipsa scriptura constet? sine obseruatione vllius pręcepti extra scripturam traditi? Vana sunt hęc & stultorum somniis inaniora.

Illud verò adhuc ineptius, perfectum dici non posse, quod ad finem, ob quem à Deo conditum est, sufficiens non sit, vt Hunnius sæpius indicat, etiam contradictionem ex hoc figmento exstruens. Annè ergo nec cælum perfectum, nec terra perfecta est, quia singula per se non sufficiunt ad vitam hominis tuendam, ob quam condita sunt? atq; adeo falsa erit scriptura Genes. 2. *Et perfecti sunt cæli & terra?* neque cibus vllus perfectus erit, quia nullus per se sufficit ad vitam hominis sustentandam? nec vllum animal perfectum erit, quia nullum per se solum sufficit ad simile sibi generandum, qui inter cæteros animalis finis est? imo nec scriptura quidem perfecta erit, quia nec Sectariorum quidem sententia, sola per se ad docendum, ad arguendum, ad salutem sufficit? quorsum, Hunni, tandem tua te abripuit calumniandi impudentia? perfectum ergo in suo

*Apolog. pa. 78. 79. & 150.*

genere est, quiduis, quod nulla sibi debita perfectione caret, qualis ne scripturæ quidem deest, vt paulo supra explicauimus.

Quod si Hunnius stramineum suum argumentum rursus obtrudat: *perfectus effectus dependet à perfecta causa; salus hominis est effectus perfectus; ergo pendebit à perfecta causa.* Quis contra hiscere audebit? nimirum totum concedetur argumentum, vt etiam in Colloquio apertè concessum est. Si hunc syllogismum in Colloquio factum mutet, & vt in suo Apologetico fecit hoc modo argumentetur: *perfectus effectus dependet à perfecta causa scripturæ sacræ hic perfectus tribuitur effectus, nempe vt homo Dei ad omne bonum sit perfectus, ad omne bonum apparatus: ergo scriptura sacra à qua dependet hic effectus, perfecta sit oportet, & ad hunc effectum consequendum sufficiens* Respondebitur esse syllogismum Prædicantium in Bocallo cum quinque terminis, sanè dignum alapâ: ac proinde negabitur consequentia illa postrema, quod scriptura debeat ad hunc effectum esse sufficiens seclusis traditionibus & autoritate infallibili Ecclesiæ, vt vult Hunnius. Si quis Hunnij misertus hunc syllogismum ita in formam redigat: omne illud à quo dependet & procedit effectus, est perfecta & sufficiens causa eius effectus: à scriptura dependet & procedit effectus perfectus nimirum æterna salus: ergo &c. Respondebitur maiorem ita generatim positam esse falsam; nisi limitetur, vt videlicet perfecta & sufficiens causa sit illud; à quo velut à causa adæquata sufficienter procedit effectus. Constat enim alioqui etiam in Physicis effectum dependere & procedere à quatuor diuersi generis causis, materia, forma, efficiente ac fine, & nullam tamen earum esse causam sufficientem effectus. Iam verò à scriptura procedit quidem & dependet effectus perfectus, sed non tanquam à causa adæquata, hoc enim nusquam dicit Apostolus, sed potius contrarium dicit.

pol. pa. 335.

Et certè si nullum aliud esset argumentum, ex quo colligi posset, quam indignis modis à Prædicantibus tractaretur scriptura, hoc profecto vnicum exemplum ad hanc rem demonstrandum sufficeret. Ait Apostolus, 2. ad Timoth. 3. *Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem in Christo Iesu.* Hoc vt Prædicantes ad suum figmentum statuendum tranferant, non sinunt verum esse vt sonat, sed suis figmentis suffarcinatum, nolentibus volentibus obtrudunt. Quando ait Apostolus, *sacræ literæ*, volunt ipsi subintelligi *solæ*. Cum ait: *Quæ te possunt instruere*, addunt ipsi, *sufficienter*, exclusa videlicet Ecclesiæ & traditionum authoritate. Cum ibidem ait, Apostolus: *Omnis scriptura vtilis est ad docendum, ad arguendum &c.* rursum adest Hunnius, & hunc Apostoli textum suis strophis turpissimè distorquet: *Omnis*, inquit, id est,

*tota*

*tota vtilis est*, id est, *sufficiens est*. Clamabam ego: erras; nugaris, impostor es, virga dignus. *Omnis*, ait Apostolus, non tota; *vtilis est*, non sufficiens est; cur verba illa, *sufficiens est*, sine traditione, sine authoritate Ecclesiæ, sine textu scripturæ, imò contra aperta verba scripturæ obtrudis? cur verba distorques? contra genuinam eorum significationem? contra receptissimum loquendi vsum? contra mentem. Apostoli? contra concordem omnium Patrum interpretationem? Addebam, si vox, *vtilis*, significaret, *sufficiens*, tunc omnem scripturam, atque adeo quemlibet scripturæ librum esse sufficientem ad salutem & instructionem, quia omnis scripturæ liber est vtilis ad docendum, &c. Et quid ad hoc respondet Hunnius? *Mirum*, inquit, *quod Apostolus non in textu suo talem adiecerit explicatiunculam. Vtilem quidem esse scripturam, non tamen ad salutem sufficere.* *Apol. pa. 335.*

Hic quid facerem Hunnio? sensum eius loci vrsi non alium, nisi quem ipsamet verba Apostoli præseferunt. *Vtilem*, dixerat Apostolus, ego quoque *vtilem* esse, contendebam, vt dixerat Apostolus. *Sufficientem*, nunquam dixerat Apostolus, ego ipse quoque nec dixisse, nec cogitâsse asserui. Et iam adest Hunnius admiratione an stupore correptus: *mirum*, inquit, *quod talem explicatiunculam non adiecerit Apostolus*; cum ipsa tamen explicatio nostra, non tam sit explicatio, quam nuda recitatio verborum Apostoli, quæ vt sonant, salua esse, cupimus, & à Prædicanticæ torturæ probro immunia. Mirum profectò, Hunni, si tuam adeo impudentem stoliditatem ac stolidam impudentiam vniuersus mundus non damnat.

Sed nec dum finis delirandi est apud Hunnium. Illud enim argumentum superius tactum, quo dixeramus ex Prædicantica explicatione eius loci secuturum esse, vt quilibet liber sit sufficiens, &c. deridet Prædicans, tanquam si à parte ad totum ineptè fuissem argumentatus. Bellè profectò; tanquam si dixerim: si tota scriptura est sufficiens ad docendum & arguendum &c. tunc etiam quemlibet librum scripturæ fore sufficientem. Sed non sic equidem ineptiebam. Verùm suppositis verbis Sancti Pauli, qui dixerat, *omnis scriptura*, quamlibet scripturam indicans (hoc enim significare solet particula Omnis) intuli, absurdè aduersarios particulam, *vtilis est*, interpretari per vocem, *sufficiens est*. Secuturum enim hinc esse, omnem atque adeo quamlibet scripturam fore ad dictos fines sufficientem. Idque non à parte ad totum, sed à toto vniuersali (vt appellant Logici) ad partem subiectiuam argumentatus sum; perinde ac si dixissem: si omnis Prædicans est ineptus, tunc etiam Hunnius ineptus erit. Intellexisti argumentum Hunni? noli ergo posthac istud amplius distorquere; noli dissimulare tanquam si non intellexeris. Sed si potes, dissolue; non corrumpe, si non potes. *Apol. pa. 335.*

Quod

2.ad Timot.3. Quod si locum illum Apostoli diligentius adhuc consideremus, cum ad Timotheum scribens ait: *Ab infantia sacras litteras nôsti, quæ te possunt instruere ad salutem*, non tantum verba, sed etiam alias circumstantias huius loci perpendendo, tunc adhuc multo manifestius euadit Prædicantium delirium, contendentium voculam, *vtilis est*, tantundem significare, quantum particula, *sufficiens est*. Scribebat nimirum iam tunc S. Paulus alteram epistolam ad Timotheum, eumque non tanquam Mosaicæ cathedræ, sed vt Ecclesiæ CHRISTI Episcopum, de variis rebus ad salutem, publicamque Ecclesiæ Hierarchiam pertinentibus informabat; qualis videlicet esse debeat Episcopus, fama, conditione, moribus, donis, quales ministri Ecclesiæ præficiendi, qua ratione subditi Ecclesiæ gubernandi &c. eaque grauissimis verbis seruanda proponit
1.ad Timot.5. Timotheo: *Testor*, inquit, *coram* DEO, *&* CHRISTO IESV *& electis angelis, vt hæc custodias sine praiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando.* Quin etiam præter hæc plura alia voce tradita seu tradenda insinuat, quæ à Timotheo non minùs, quàm quæ literis mandata fuerant, seruanda essent: *Hæc tibi scribo*, inquit; *sperans me ad te venire cito. Si autem tardauero: vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis*; admonens, vt interim
1.Timoth.3. *depositum custodiat.*

Et verò eo ipso loco etiam quem aduersarius ineptè obiicit, prius grauiter admonet Timotheum, vt acceptam à se doctrinam, Euangeli-
2 ad Timo.3. cam vtique, non Mosaicam retineat, *Tu vero*, inquit, *permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris.* Quæ cum ita sint, qua ratione quæsò audet verba illa subsequentia: *Quæ te possunt instruere ad salutem*, ita interpretari Hunnius, quasi sacræ litteræ & quidem veteris testamenti duntaxat, de quo illic loqui Apostolum ipsemet Hunnius fatetur, potuerint sufficienter omni alia doctrina vel infallibili authoritate sepositâ, instruere Timotheum ad salutem? An vetus testamentum poterat sufficienter ad salutem instruere Christianum? Episcopum? Doctorem Euangelicum? cui coram & per literas tot & tanta, nusquam in veteri testamento tradita, adhortando ac docendo tradiderat Paulus? per Deum & Christum obtestans, vt ab eis in neutram partem declinet? si sufficiebat Timotheo veteris testamenti doctrina, cur scriptum est testamétum nouum? cur ipsemet Paulus duas ad eum epistolas peculiariter destinauit? an etiam Paulus more Prædicantico sufficientem esse scripturam veteris testamenti ad instructionem verbis asseruit, facto negauit? an potius stolidè impius est Hunnius, dum ita sacras literas pro libito suo & malà sani cerebri vertigine tractat, vertit & euertit? fingens explicationem à verbis textus, à mente scriptoris, à circumstantiis loci, ab autori-

toritate interpretum, ab omni ratione alienum? Sed de ineptiis Hunnij quibus imperitis persuadere nititur, ſcripturam eſſe vnicam normam, hactenus ſatis actum eſt. Prætermitto cætera, vt à me iam alibi ſufficienter refutata, & in quibus ipſemet aduerſarius parum fiduciæ habere ſe oſtendat. Ea verò quæ de perfectione ſcripturæ à me diſputata ſunt, accommodauit etiam Hunnius ad ea, quæ de plenitudine ſcripturæ ex Tertulliano à nobis dicta, & à ſe malitia an inſcitia non intellecta perſtringit pa. 89. Iam quid de ſcriptura iudice deliret Hunnius videamus.

## CAPVT VII.

### *DE SCRIPTVRA IVDICE.*



Vænam noſtra, quæ aduerſariorum ſit de hac re ſententia, tum in Colloquio, tum in aliis ſcriptis ſatis hactenus explicatum eſt. Hic iam ineptiæ quædam duntaxat Hunnij, quas in Apologetico ſuo hac de re imprudenter effutiuit, examinandæ veniunt. Oſtenderam ſecunda parte Relationis meę cap. 2. exemplo ac ratione, dictum illud D. Gretſeri: Spiritus ſanctus quatenus præcisè per ſcripturam loquitur, non poteſt eſſe Iudex, quoad rem veriſſimum, & planè Catholicum pronunciatum, nedum blaſphemum. Exemplum his verbis depromp ſeram; *Dicat mihi quaſo aduerſarius, an ſpiritus ſanctus, vt precisè loquitur per librum Ruth verbi gratia, aut per Epiſtolam ad Philemonem, aut per illa precisè verba Moſi dictata: In principio creauit* DEVS *cœlum & terram, an, inquam, hac precisè ratione, ſi nihil aliud interim nec dicat, nec faciat ſpiritus ſanctus, poſſit omnes omnino controuerſias in fide dirimere? Certè nec aduerſariorum hoc quiſquam affirmârit; quin potius apertè quilibet fatebitur, id ſpiritum ſanctum, hac precisè ratione, vt quæ contradictionem inuoluat, non poſſe. Quod ergo aduerſarius alijs obijcientibus Dei omnipotentiam tali reſponſione læſam eſſe, reſponderet, id ſibi nunc reſponſum à me ferat, & diſcat, dictum illud Catholicorum blaſphemiam non fuiſſe: ſed ſuam potius calumniam.* Ad hoc reſpondet Hunnius me à parte ſcripturę ad totum volumen ſcripturæ ineptè rationem duxiſſe. Sed hanc ineptam Hunnij reſponſionem iam in ipſa ratiocinatione mea præuerti ac dilui, ſignificans, in hac re eandem eſſe rationem totius ſcripturæ, & partis ſcripturæ. *Tam enim parum* (dicebam) *credunt Catholici, totam (ſed ſolam) ſcripturam eſſe ſufficientem iudicem, omnium fidei controuerſiarum, quam parum aduerſarij credunt, aliquam eiuſmodi minimam ſcripturæ particulam, eſſe ſufficientem iudicem omnium controuerſiarum.* Quam rationem à me in Relatione diſertè poſitam niſi diſſimulâſſet Hunnius, non inueniſſet locum eius obiectio. Sicut enim ideo agnoſcit, nullam eſſe blaſphemiam dice- *Apol. pa. 105.*

re, ſpiritum ſanctum, quatenus præcisè loquitur per epiſtolam ad Philemonem verbi gratia, non poſſe eſſe iudicem omnium controuerſiarum Religionis; quia epiſtola ad Philemonem non continet omnia fidei & Religionis, dogmata; ita quoque cum Catholici aſſerant, atque etiam ſuo loco probent, ſcripturam totam non expreſsè continere omnia fidei & Religionis dogmata, nulla quoque apud eos erit blaſphemia, ſed potius ipſiſſima rei veritas, aſſerere: Spiritum ſanctum quatenus pręcisè loquitur per ſcripturam, non poſſe eſſe iudicem omnium controuerſiarum. Quod ſi Hunnius Ariſtotelem diligentius euoluiſſet, noſſet quoque, non eſſe abſurdum à toto ad partem argumentum ducere, quando inter ſe cōferuntur, non quâ differunt, ſed quatenus conueniunt.

*Ariſtot. lib. 6. Top. cap. 5. Seſſ. 10.*

Iam verò ſcripturam non eſſe propriè iudicem, inter cætera etiam hoc argumento in Colloquio probauimus: Nullus reus prouocat ad vllum iudicem, à quo iam antea ſufficienter damnatur: ſed Hæretici quaſi omnes prouocant ad ſcripturam: ergò per ſcripturam non ſufficienter damnantur. Atq; adeo ſcriptura propriè non eſt Iudex. Ad hoc argumentum, (dixeram in Relatione) *nihil penitus vnquam aut potuiſſe, aut voluiſſe reſpondere aduerſarios, niſi tergiuerſando & declamitando*, vt poſtea oſtendi; in hac re, vt & in aliis ad Protocollū me referens. Hic Hunni⁹, cum ex mea Relatione facile animaduerteret, quàm reſponſiones in Colloquio, de commiſſa fallacia accidentis & cauſarum, nauci eſſent, nouū opus aggreditur, & quod in Colloquio nunq̄ auſus eſt facere, id iam inſtauratis viribus confidenter tentat. Maiorem videlicet propoſitioné negat, quàm arroſerat quidem nonnunquam in Colloquio, ſed apertè negauit nunq̄; ſciens non defuturam probationem, ſi negaretur. Sed ſatis cito, ſi ſat benè. Iam verò quia & tarda & mala, peſſima eſt. Et ne locus tergiuerſationi detur, loquimur de prouocante etiam auditâ iam & lectâ ſententia iudicis, & quidé talis iudicis, qui ſententiā ſemel abſolutè pronuntiatā nec iure, nec iniuria mutet; ſed cui ꝙ ſemel dictum eſt, ratū ac immutabile eſt; qualis omnino eſt Deus, qui ſuum voluntatem hominibus per S. ſcripturam denuntiauit. Quo ſenſu accepta propoſitio illa probatur primo inductione ac praxi omnium iudiciorum, in quibus vtiq; nunquam prouocat reus ad iudicem, à quo is iam antea ſufficienter eſt damnatus; cum ipſa vtiq; prouocatione ſufficienter oſtendat ꝓuocans, ſe aliquid fiduciæ habere, à tali iudice impetrādæ abſolutionis. Ratio eſt euidens. Nemo enim ſufficienter ab aliquo iudice dānatus cenſeri poteſt, qui in ea ſpe ac opinione etiamnum verſatur, iudicé à ſua parte ſtare, & porrò nihil ét mutato iudicio à ſe ſtaturum eſſe: ſed omnis reus ꝓuocans ad aliquem iudicé, hoc ipſo in ea ſpe ac opinione verſatur, iudicem à ſe ſtaturum & pro ſe laturum ſententiam: ergo nullus reus prouocat ad vllum iudicem, à quo

*Relat. part. 2. cap. 4.*

i-m

iam ante sufficienter damnatur. Huc etiam spectat hoc argumentũ, quod in Colloquio factum est: Nemo prouocat ad aliquem iudicem, apud quẽ euidenter scit, se causa cecidisse; sed omnis reus sufficienter damnatus ab aliquo iudice, euidenter nouit se apud eum causa cecidisse: ergo nullus reus prouocat ad vllũ iudicem, à quo iam antea sufficiẽter damnatur. Iam subsumimus; sed Hæretici quasi omnes prouocant ad scripturam; ergo per scripturam tanquam per iudicem non sufficienter damnantur.

Neque hic rursus obganniat Hunnius illud, vitio hominum accidere, quod Hæretici ad scripturas prouocent. Esto n. hoc, sit ita. Nihilominus tamen adhuc argumentum inuiolatum manet. Nam nec ob malitiam quidem Rei accidere potest, vt semel sufficienter damnatus ꝓuocet ad eiusmodi iudicem, à quo iam ante est sufficienter damnatus. Vt interim taceam, eo minus ex malitia reum ad eiusmodi iudicem esse prouocaturum, quo grauiores huius ipsius malitiæ pœnas daturum se apud iudicem nouit.

Quod attinet ad Pharisæos, ad scripturam Moysis prouocantes, de quibus infra ex instituto agendum est, iam sæpius etiam in Colloquio diximus, eos quidem dum Moysis doctrinam pro Religionis normâ, sibi præfixam negligerent, per Moysen de sua infidelitate accusari dictos fuisse, Ioan. 5. ad eum modum, quo fures & latrones dicuntur accusari à Codice Iustinianæo: attamen per scripturam Moysis, tanq̃ per iudicem, propriè loquendo, non fuisse sufficienter damnatos; sed iudicem eorum à quo proprie ac sufficienter damnati sint, fuisse Christum, non Moysen; quidquid Hunnius pa. 10. in contrarium mendaciter affingat D. Gretsero. Probaui hoc in mea Relatione, ipsius Christi testimonio, asserentis, Ioan. 15. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, Item, *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Respondet Hunnius, hæc dicta *non absolutè posse accipi, sed cõparatè, ac si dicat Christus, peccatum ipsorum non fore tantum quantũ nunc est.* Sed veniam nobis spero dabit Hunni⁹, si verba Christi, vt sonãt, simpliciter accipiam⁹; secuti communem S. Augustini cæterorumque interpretum explicationem, qui notant, Christum de peccato solùm infidelitatis locutum, quo Iudæi Christum pro vero Messia recipere detrectârunt. *Hoc peccatum*, inquit Augustinus. *si non venisset* (Christus) *non vtique haberent. Aduentus quippe eius quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitialis factus est, tanquam & ipse caput & princeps Apostolorum, quod de se ipsi dixerunt, extiterit. Quibusdam quidem odor vitæ in vitam, quibusdam verò odor mortis in mortem. Et alibi: si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Peccatũ illud scilicet magnũ* inquit, *de quo superius ait. si non venissem & locutus eis fuissem, peccatũ non haberent: hoc est peccatũ, quod in eum*

*Apolo. pa. 373.*

*August. Tractat. 89. in Ioann.*

*August. Tractat. 81. in Ioann.*

*loquentem & operantem non crediderunt. Neque enim nullum habebant peccatum antequam loqueretur eis, & operaretur in eis. Sed hoc peccatum, quo in eum non crediderunt, ideo sic commemoratur, quia ipso peccato tenentur & cætera: Hoc enim si non haberent, & in eum crederent* (fide nimirum viua, qualem Christus postulauit) *dimitterentur & cætera?* Et sanè ratio est manifesta. Nam licet ex Mose vtcunque tempus aduentus Messiæ cognoscere potuerint, non tamen ita determinatè scire potuissent, Messiam iam aduenisse, & quidem hunc ipsum B. Mariæ filium Messiam esse, nisi Christus venisset, & locutus eis fuisset, sibique tantis miraculis authoritatem conciliasset.

Sed obiicit Hunnius, ex hac conclusione consequens esse, eos, qui ante Christum, aut post Christum veram fidem non habuerunt, non fuisse damnatos. Hanc ipsam obiectionem mouit & soluit Augustinus, his verbis: *Sed quod adiunxit, atq; ait. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo: potest mouere quærentes, vtrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo: si enim non habent, cur hîc dictum est, propterea istos non habere, quia venit & locutus est eis? si autem habent, vtrum ad hoc habeant, vt à peccatis alienentur, an vt mitius puniantur? Ad hæc inquisita pro meo captu Domino donante respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo; sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Ne quis autem hinc inferat, etiam gentiles, quibus iam à Christianis Prædicatoribus fides annunciata est, à peccato hoc infidelitatis excusari, subiicit Augustinus: *Sed non in eo* (eorum videlicet qui excusantur) *sunt numero hi, ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est locutus, quod & nunc facit. Nam per Ecclesiam suam venit ad gentes, & per Ecclesiam suam loquitur gentibus, &c.* Postea verò *de iis qui ante Christum vixerunt, quæstionem his verbis proponit: Restat inquirere, vtrum hi, qui prius, quàm Christus veniret in Ecclesiam ad gentes, & prius quàm Euangelium eius audirent, vitæ huius fine præuenti sunt seu præueniuntur, possint habere hanc excusationem? Possunt planè,* inquit, *Sed non ideo possunt effugere damnationem. Quicunque enim, sine lege peccauerunt, sine lege peribunt &c.* Constanter itaque pronunciat Augustinus, eos quibus Christus nec per se, nec per suos Apostolos, aut prædicatores locutus est, peccatum illud magnum infidelitatis, quo non credunt Iesum esse Messiam, & saluatorem mundi, non habere: sed ab eo per ignorantiam excusari. Cuius sententiæ, quæ & communis Doctorum est, & textui ac rationi conuenientissima, merito Hunnij explicationem postponimus.

*August. tract. 89. in Ioan.*

Sed nunc videamus, quid de eius syllogismo statuendum sit, cum sic argumentatur. *Nemo damnatur nisi sufficienter iudicatus: Iudæi incre-*

*duli*

*duli etiam ante Christi aduentum damnabantur, accusante eos scriptura Mosis: Ergò etiam antequam veniret Christus, per scripturam illam Mosis sufficienter fuerunt iudicati.* Respondeo primum mirum esse, quod nullos fere syllogismos proferre nobis potest Hunnius, nisi cum quatuor, vel quinq; terminis. Argumentum enim iuxta statum maioris propositionis sic debebat informari: Nemo damnatur, nisi sufficientur iudicatus: Iudæi increduli etiam ante Christi aduentum damnabantur: ergò etiam antequam veniret Christus, fuerant sufficienter iudicati. Hæc forma erat legitima. Sed quia conclusio talis nihil nobis aduersatur, vt suam conclusionem, vel per torturam ex illo medio extrudat Hunnius, idcirco in minore propositione contra omnem artis Dialecticæ formam medio termino assuit nouum terminum, qui in maiore propositione medio illi termino non erat coniunctus. Et rursus alium terminum in conclusione attexit maiori extremo, cui itidem antea non erat adiunctus: egregio sanè artificio, quod meritò Schramio aut insipientioris illius Dialecticę studioso corrigendum tradatur. Secundo respondeo, ex dictis, minorem Hunniani illius dicti esse falsam, si per eam significetur, Iudæos incredulos ante Christi aduentum solius scripturæ iudicio fuisse damnatos ob peccatum illud magnum infidelitatis, de quo Ioan. 15. locutum esse Christum, superius ex Augustino docuimus. Sic inquam falsa, & bis falsa est minor. Primò quia priusquam veniret Christus, non tenebantur vtique credere Iudæi Christum ac verum Messiam iam aduenisse &c. Secundò, quia scriptura sola non sufficienter damnabat eam infidelitatem, priusquam Christus loqueretur & operaretur, vt supra diximus. Si autem minoris propositionis sensus sit, illos fuisse damnatos ob alia peccata, quæ ex scripturis sacris satis intelligebant, aut intelligere debebant, esse peccata: tunc fateor eos hoc modo, scriptura accusante (impropriè videlicet, prout lex accusare solet transgressores) fuisse damnatos. Sed non ideo sequitur scripturam propriè loquendo esse iudicem. Non enim, quia aliquis damnatur ob alicuius legis transgressionem, idcirco ab ipsa lege tanquam à iudice propriè dicto sufficienter iudicatur. Vnde argumentum hoc sic iam in Hunnium retorquemus: Quisquis ob violationem legis damnatus est, is non quidem ab ipsa lege, propriè loquendo, sed à legis interprete, qui controuersias, quæ circa legem eiusmodi incidere possunt, & ipsas quoque transgressiones legis cognoscat, sufficienter iudicatus est: Iudæi illi propter violatam legem Mosis damnati sunt; ergo sufficienter iudicati fuerunt; non quidem ab ipsa lege Mosis, sed ab ipso DEO interprete huius legis. Quod si tantum impropriè dicamus Iudæos legis Mosaicæ transgressiores esse damnatos, quatenus videlicet ex ipsa lege demonstrari poterat, eos contra legem peccasse, tunc pariter etiam facile

concedemus,impropriè Iudæos eiuſmodi per ſuam legem eſſe iudicatos, quatenus ſimiliter generatim ſaltem oſtendebat, Iudæos à lege receſſiſſe. Neque de hoc iudicio ſiue damnatione ſcripturæ vlla nobis eſt controuerſia. Verum de iudicio ſcripturæ ſatis multa etiam diximus alibi, vbi plures Hunnij ineptias,ac blaſphemias hac in re notauimus.

*Apol.Præfat. ap.9.*

## CAPVT VIII.

### *DE TRADITIONIBVS.*



Vlta paſſim hac de re iam alibi diſſeruimus. Quæ ſuperſunt, paucis expediemus. Primum autem mirificè ineptit Hunnius circa ſignificationem vocis *Traditionis*. Hãc enim quia non intelligit, aut potius intelligere non vult, varias in ſuo capite antilogias fingit. Sed accipe, mi Hunni, rem paucis. Etſi vox Traditionis non ſemper eodem modo vſurpetur, nos tamen in Colloquio,quando traditiones præter ſcripturam admittendas eſſe diximus, generatim hanc vocem accepimus, pro aliqua doctrina ſeu lege ad religionem ſpectante,quæ ex ſola ſcriptura, ſepoſita Eccleſiæ ſcripturam explicantis infallibili authoritate,infallibiliter, ſiue euidẽter colligi non poteſt. Declarauerãm hoc ipſum in Colloquio initio Seſſ.11. his verbis: *Et vt clarè procedam⁹, ſciendum eſt omnibus,quid per traditiones non ſcriptas vtrinq; intelligamus. Per traditiones non ſcriptas intelligimus eiuſmodi quadã præcepta ſeu conſtituta ad fidem ſeu religionem ſpectantia, quæ in ſcriptura nec apertè continentur, nec excluſa infallibili authoritate Eccleſiæ ſcripturam interpretantis ex ea euidenter deducuntur.* Interim implicitè omnia, quæ ad fidem & religionẽ ſpectant,in ſcripturis contineri, adeoq; ex ſcripturis ſuppoſita Eccleſiæ infallibili authoritate,infallibiliter omnia,quæ religionem concernunt,colligi poſſe, nunquam negauimus, ſed apertè potius Seſſ.5. aſſeruimus, vt etiam alibi diximus. Neque verò vocem traditionis aliter accepit D.Gretſerus Seſſione 1. quando dixit: *ſi*(illius medii pro paruulis veteris teſtamenti decedentibus ante octauum diem) *fuiſſet mentio facta in ſcripturis,non eſſet traditio,ſed verbum diuinum ſcriptũ.* Senſus enim eſt; ſi in ſcripturis apertè ac in ſpecie mentio facta fuiſſet.

*Protoco. Monac.pag.243.*

*Protoco. Monac.pag.92.*

Vnde colligitur,licet à Catholicis quandoque in traditionibus numerentur,inuocatio Sanctorum,cultus reliquiarum, communio ſub vna ſpecie,&c. eos tamen non ideò aſſerere,nullam planè harum rerum mentionem fieri in ſcripturis,vt ineptè exiſtimauit Hunnius, ex ſuis ſomniis, non ex Catholicorum aſſertionibus labyrinthum exſtruens. Sed hoc ſolummodo ſignificare volunt,eiuſmodi dogmata non ita prorſus apertè & perſpicuè in ſcripturis contineri,quaſi ſepoſita Eccleſiæ interpretatione omnis

*Apolo.pa.67. & 91.*

omnis planè dubitandi facultas de eiusmodi consequentiis pro dogmatibus illis concludendis exstructis auferatur.

Colligitur secundò, ineptè Hunnium impugnare nostrũ illud dictũ, cum in responso ad testimonia Patrũ, decretum illud Apostolorum Act. 15. de abstinendo à sanguine & suffocato, produximus velut exemplum, quo ostenderemus, Apostolos quædam decreuisse, ac præcepisse etiã non scripta. Ait enim hoc decretum fuisse scriptũ, ex illo ipso loco scripturæ ꝓbari. Quis nescit hoc, Hunni? scriptũ postea fuisse scio, sed prius tamen fuisse decretum, quàm scriberetur, eamq; legem cum in Concil. Hierosolymitano ferretur, nondum fuisse scriptam: atq; adeo quidpiam nulla pri⁹ scriptura à Deo mandatum, ab Apostolis fuisse præceptum, hoc aio, hoc vrgeo, tanquam ꝙ vestrum illud pronunciatum *de non addendo &c.* penitus euertat, &c. vt ét supra diximus. Sed & hoc falsum est, quod ait Hunnius, *hanc* (illius decreti Apostolici) *omniũ primam fuisse scripturam in toto nouo testamento.* S. enim Matthæum suum Euangelium scripsisse, priusq̃ Apostoli in diuersas orbis prouincias diuiderentur, atq; adeo multo tempere ante illius Concilij celebrationem, communis est omniũ sententia.

Colligitur tertio, ineptissimè Hunnium *testificationem, de libris Moysis,* quam dixeram esse ἄγραφον, *ἄγραφον nequaquam esse.* Sed quid ita, mi Hunni? *Quia est,* inquit, *claris de scripta verbis Deuteronomij 31. vbi legitur versu decimo nono. Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israel. Ac rursus Versu 24.25.26. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine atq; compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini; dicens: tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, vt sit tibi contra te in testimonium.* Ita Hunnius, cuius quidem in hac re stoliditatem satis mirari non possum. *Apol. pa. 215*

Dixeramus esse traditionem non scriptam, atq; adeo ex sola scriptura colligi satis non posse, quod libri Moysis, quos in manibus habemus, sint Moysis, atque adeò Canonici & verbum Dei, & iam Hunnius contrarium demonstrandum sumit ex ipsismet libris Moysis, de quibus iam omnis est quæstio, an sint Canonici. An non egregia hæc argumentatio, & digna tanto Doctore est? supponere scilicet idipsum, de quo dubitatur? supponere, inquam, libros Moysis esse Moysis & Canonicos, & hoc supposito, deinde probare libros Moysis esse Moysis & Canonicos per apertam petitionem principij? Ineptus profectò & puerilis nugator es, Hunni. Non quæritur, an vspiam scriptum habeatur, Moysen scripsisse aliquos libros; sed an ita scriptum vspiam habeatur, vt ex sola scriptura sacra possit validè & sufficienter probari, hos ipsos libros, quos sub Moysis nomine in manibus habemus, esse Moysis.

Vbi

Vbi iam minimè produci potest testimonium aliquod, ex ipsismet libris Moysis. Quia enim de libris Moysis quęstio est, an Canonici sint, de eo ipso vtiq; testimonio ex Moysis libris petito eadem pariter quæstio erit.

Quod si forte Hunnius ad alios scripturæ libros confugere voluerit, ne sic quidem aliquid profecerit, non modo quod nullum omnino testimonium proferre poterit, quo asseratur, libros Moysis omnes & singulos, quoad omnes & singulas suas partes, quę iam manib. teruntur, Moysis, & Canonicos esse, sed etiam, quia de illis ipsis libris, si quæstio moueatur, an Canonici sint, non nisi ex traditione tandem constare potest, eos verè Canonicos esse, vt contra Hunniana somnia alibi prolixè ostendimus.

Exam. Hun. Relat. cap. 18.

Porro dum aduersarii in Colloquio secundum suum argumentum principale producerent, velut Appendicem quandam indocta planè futura minori propositioni assuerant, hoc pronunciatum: *Non posse exemplum reperiri, quod aliqua reformatio ex verbo non scripto fuerit suscepta, & Deo placuerit*; quod quidem vt nouum planè orationis membrum extra formam illius argumenti ineptè assumptum fuisse ipsemet Hunnius agnoscit, in suo Apologetico propositionem illam minorem sine hoc spurio additamento recitans. Adiunxerat verò etiam in fine eius argumenti Hailbrunnerus: *Rectè fecisse Electores & Principes sacri Imperij, qui secundum vnicam illam normam, Ecclesias suas reformarunt.* Quæ cum in Colloquio tanquam extra propositum allata, nec ad argumentum illud pertinentia, à nostris fuissent præterita, à me in Relatione sub examen vocata sunt, ac primum quidem præcipuorum Christiani nominis Imperatorum ac Regum Constantini Magni, Iouiniani, Theodosij Magni, Gratiani, Valentiniani, Martiani, Iustiniani, Caroli Magni, Ludouici Sancti exemplis decretisque refutata sunt.

Deinde verò etiam multa scripturæ documenta, Religionis & cultus absque vllo scripturæ mandato legitimè instituti allata sunt. Ad singula conantur respondere aduersarii in suo Apologetico. Sed quid? videamus. Ad primùm Theodosij exemplum, quo teste Sozomeno sententiis ac doctrina antiquorum Patrum decernendam esse grauissimam de Trinitate controuersiam statuit, respondet Hunnius: *Quidni potuit in tali controuersia prouocare ad illos Theodosius, tanquam non suspectos, in certamine videlicet de Trinitate, quod demum post illorum ætatem exarsit?* Interim verò *illorum scripta Canonicis non æquâsse, nec indifferenter omnia, quæ in illorum libris extarent, putasse authentica.* Ego verò interim Prædicantibus gratias habeo, pro hac tam honorifica, eâque noua in sanctos Patres animi propensione. Nam nec nos quoque contendimus, libros S.S. Patrum esse Canonicos, aut nihil penitus in illis errori obnoxium esse. Hoc satis in pro-

Sozomenus l. 7. Histor. Ecclesi. cap. 12.

in propoſito obtinuiſſe, in aliqua Religionis controuerſia, quæ demum poſt illorum ætatem exarſerit, ſecurè ac merito ad Sanctos Patres tanquam *non ſuſpectos arbitros* prouocari. Caueant ergo impoſterum Prædicantes Sanctorum Patrum iudicium detrectare, ſuamque ſententiam eorum doctrinæ anteponere, ſicubi ab eis quippiam in materia Religionis conſentientibus ſententiis fuiſſe traditum intellexerint. Intelligere autem hoc poterunt, ſi volent, non ita difficulter, etiamſi non omnia illorum monumenta relegant, modo confeſſiones præcipuorum Eccleſiæ Doctorum, Ambroſij, Auguſtini, Gregorij, Hieronymi, iam à Catholicis ex illorum monumentis, quoad vigentes in Eccleſia controuerſias, ſtudioſè collectas inſpiciāt; aut eaſdem cōtrouerſias à Driedone, Stapletono, Sandero, Caniſio, Bellarmino, Gregorio de Valentia, & pleriſque aliis controuerſiarum tractatoribus, ex Sanctorum quoque Patrum doctrina fusè explicatas ſyncero ſtudio perlegant. Ex his facile intelliget Hunnius, mendacia eſſe, quæ hic aſſerit.

Primo, Pontificios *iactare Sanctorum Patrum vnanimem conſenſum, cum de pleriſque dogmatis Pontificys Patres nil quidquam meminerint.* *Apol. pa. 27*

Secundum eſt multiplex, *De inuocatione Sanctorum, cultu imaginum, peregrinatione ad ſepulchra Sanctorum, ſub ſpe conſecutionis vitæ æternæ, merito congrui & condigni, communione ſub vna ſpecie, indulgentijs Papalibus, & ſexcentis alijs apud nos vſitatis non ſcripſiſſe Patres: præſertim vnanimiter.*

Tertio, nos Patrum *veras ſententias, vbi ſecundum ſcripturam* cum PſeudoEuangelicis faciunt, *poſthabere Hæreticis noſtris dogmatibus, eoſque quando & vbi volumus reycere inſolentiſſimè.* Quatuor planè inſolentia mendacia. Nam nec Sancti Patres vel in vno puncto cum PſeudoEuangelicis faciunt, nec eos poſthabem⁹ noſtris dogmatib⁹, nec dogmata noſtra Hæretica ſunt, nec eos quādo & vbi volum⁹ reiicimus. Quādo enim Sancti Patres in aliquo fidei dogmate conſentiunt (vt accidit, verbi gratia, in dogmatibus de ſacrificio Miſſæ, de cultu imaginum, de inuocatione Sanctorum, de veneratione reliquiarum, de meritis bonorum operū, de iuſtificatione non per fidem ſolam, ſed etiam per pœnitentiam & alias pias mentis motiones, de purgatorio, &c.) tunc id hoc ipſo tanquam certum & exploratum Religionis dogma amplectimur. Vbi vero non conſentiunt, rectius ſentientes ſequimur.

Quartò mendacium eſt, *hoc* (iam à nobis refutatum) *creberrime facere Bellarminum, idque ex operibus eius oculariter oſtendi poſſe.*

Quintò, *ne nos quidem magni facere conſenſum Patrum, vbi quid etiam vnanimiter ſcribunt.*

Sexto, nos *ſub hoc prætextu reiecti conſenſus, eycere ſynceros Euangelicæ doctrinæ confeſſores.* Imo verò PſeudoEuangelicæ; nec hos tam eiectos,

quàm emendatos cupimus. Iure tamen si non emendentur eiici, significaueram in Relatione, probari ex scriptura. Exod. 22. Prouerbior. 20. Ad primum respondet Hunnius: *In capite vigesimo secundo Exodi non occurrit dictum aliud, ad quod collimet Suita, praeter hoc: Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Forsan igitur,* inquit, *hoc vult, eos qui Pontificem habent pro Antichristo, meritò esse à Pontificijs Principibus eiectos.* Sed non benè ad scopum collimauit Hunnius. Legitur Exod. 22. *Maleficos non patiêris viuere.* Si ergo iis, qui corpora suis maleficiis obtruncant, iustè mors infertur, quantò maiore iure exilium decernitur hæreseon asseclis, qui animas hominum vel solo consortio inficiunt ac perdunt, præsertim si ab errore nolint resipiscere. Cancer enim est hæresis, qui non sanatur nisi scindatur. Lupi rapaces sunt Hæretici, licet vestimentis ouium intecti, an ergò iure à stabulis non arcentur? Intellexisti vim argumenti, Hunni? Sed nec locus à te productus tibi scrupulum mouisset, nisi antea mala conscientia te reum teneret: Neque ab eius præcepti violatione te excusas, nisi impudentissimis mendaciis & calumniis iam alibi refutatis. Primum *à S. Paulo secunda Thessal. secundo, vocari Papam hominem scelerosum, filium perditum, aduersarium. Secundò, dominatu, quem sibi vsurpat Pontifex, Petro Apostolo Christum sonora voce interdixisse. Tertio Papam impudentissimè mentiri, se successorem Petri.* Sed de hac impudentissima Hunnij insania plura infra.

*Exam. Hun. Relat. cap. vlt. Apol. Præfat. Vid. int. c. 14. & seqq.*

Ad alterum locum Prouerb. 20, respondet Hunnius; *nihil* hic *quidquã extare, quod velut ad speciem huc quadret.* Sed clausis oculis caput hoc legisse videtur Hunnius. Nam si nil aliud illic haberetur, quàm quod versu 20. dicitur, *Qui maledixerit patri suo & matri* (atq; adeò etiam superioribus legitimis) *extinguetur lucerna eius in medijs tenebris;* sanè fuerat id nô minùs cõmemorandum Hunnio, quàm quod ex citato c. 22. Exo. produxerat. Sed sunt tamen adhuc alia: versu 8. dicitur: *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Versu 26. *Dissipat impios Rex sapiens, & incuruat super eos fornicem.* An autem impii non sunt Hæretici? an malum non est hæresis? imò verò vix vllum malum hoc pestilentiùs.

Sed clamabit Hunnius, se suosque asseclas Hæreticos non esse: satis scio; sed & hoc scio, iudici non ex rei de se existimatione, sed ex causarum momentis sententiam esse ferendam. Vix enim alioqui damnandus foret quispiam, si iudici, rei de sese iudicium sequendum foret. Et profectò res planè indigna est: Prædicantes istos vix heri primùm cum sua hæresi natos nullo præscriptionis vel authoritatis iure munitos, quâ iure, quâ iniuria, à Principibus Catholicis extorquere velle, vt sibi in eorum ditionibus locus concedatur, cum ipsorum operâ & studio in terris Principum suæ partis, non solùm libertas Religionis subditis

Catholi-

Catholicis dudum sit adempta, nec Presbyteris aut Catholicis viris, quantumuis & antiquæ fidei præscriptione, ac veteris municipii iure ac possessione munitis, commune inter cæteros viuendi ius, nedum Catholicam Religionem disseminandi facultas concedatur: sed nec hoc quidem seruetur, quod tamen etiam iura imperii seruandum decreuerunt, vt Ecclesiasticis suæ possessiones & iura illæsa consistant. Quin ipsi potius Prædicantes collegiorum, cænobiorũ, monasteriorum, Ecclesiarũq; à Catholicis & pro Catholicis fundatarũ ac dotatarum bona ac redditus rapiant atq; abligur iant. Ita nimirũ Catholici suis bonis expoliari æquo ferant animo, sed Prædicantes ab alienis arceri vix iniquo satis ferant? Sed satis hac de re, in quam, occassione PseudoEuangelicæ illius reformationis à Prædicantibus magna sanè confidentia in Colloquio deprædicatæ, dilapsi sumus. Nunc reliqua, quæ ad obiecta veteris historiæ exempla respondent Prædicantes, excutiamus.

Ad decretum Constantini Magni, ex epistola ad Ablauium, relata C. Theodosiano. lib. 16. respondet Hunnius, Constantinum Magnum *sententias Episcoporum diuinis literis non exæquâsse*. Sed nec ego hoc volui, neque Gretserus noster hoc in Colloquio asseruit, licet alioqui dixerit, traditiones *esse verbum diuinum*, ac *eiusdem authoritatis* cum verbo scripto. Quod verissimum est, tametsi non omnes sententiæ Episcoporum (vt si v. g. circa cæremonias, aut facti quæstionem quippiam de nouo statuant) diuinis literis exęquentur. Sunt enim nihilominus Traditiones quædam tum diuinæ, tum Apostolicæ, quarum illæ quidem præceptis Dei in sacra scriptura contentis; hæ verò præceptis Apostolorum itidem scriptis vi atque authoritate meritò exæquantur. Sed hoc nihil ad rem. Mihi satis erat exemplo illo demonstrâsse, quam pro sacrosanctis habuerit, haberique voluerit Constantinus Magnus decreta Conciliorum; dum statuit, *sententias Episcoporum quolibet genere prolatas, inuiolatas, incorruptasque seruari, & pro sacris semper ac venerabilibus haberi, quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum.* *Vid. Bellarm lib. 4. de verb. Dei cap. 2.*

Sed & hoc vult Hunnius, de Conciliis dici, non per se & absolutè, sed quatenus cum scriptura consentiebant. Verùm hoc Hunnii cõmentũ est, non Constantini decretũ, qui sententias quidẽ iuxta normã scripturę, à Conciliis ferendas esse sensit, (quod frustra ex historia tripartita ac Theodoreto probat Hunnius.) sed à Conciliis vniuersalibus latas ipse nec ad scripturã examinauit vnquam, nec vt à quoquam hoc fieret permisit, sed omnino quidquid ab Episcopis in Cõci. vniuersali decretũ esset, hoc ipso tanquam ad scripturæ normã sine errore directũ, cunctis seruandũ proposuit, vt verba illa sine limitatione vniuersim pronunciata euidẽter demonstrãt. Quib cõsimilia sũt, quæ in epistola ad vniuersas Ecclesias scripsit. *Nã quidquid*, inquit, *Euseb. de vit. Constan. lib. 3 cap. 18.*

heodor. li. 1. ꝑp. 10. *à sanctis Episcoporum Conciliys decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debet attribui.*

Sed quid ad Theodosij, Gratiani, & Valentiniani decretum respondet Hunnius, his verbis à nobis in Relatione recitatum: *Theodosij Magni, Gratiani ac Valentiniani Imperatorum aurea lex est C. De summa Trinitate: Cunctos populos, quos Clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum, tradidisse Romanis, religio vsque nunc ab ipso insinuata declarat.* Ad hoc scilicet his verbis respondet Hunnius: *sic quoque lex, quæ extat in Capitulo de summa Trinitate iuxta subiectam materiam eò pertinet, ne quis de Sacrosancta Trinitate aliter sentiat, quàm Petrus Romanis tradiderat, & ea religio eò vsque fuerit insinuata.* Magnus nimirum iuris Consultus est Hunnius, nec immeritò toties, ad Iurisperitos prouocauit; qui cum nesciret quid C. in citandis legibus significaret, stylo nouo capitula in Iustiniano Codice numerat. Sed nec rem, nec mentem Imperatorum probè attigit, qui non solùm doctrinam Catholicam de Sacrosancta Trinitate probant, sed etiam cur probent, ex traditione & perpetua fide Ecclesiæ Romanæ rationem petunt.

Concil. Chalc. Act. 3. Valentiniani & Marciani Imperatorum decernentium, *verè iniquum & sacrilegum* esse, *qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit*: vt & Caroli Magni, Ludouici Sancti decreta à me obiecta, clariora sunt, quàm vt ea Hunnius suæ sententiæ accommodare tentet. Vnde si qua parte sibi non fauent, iam palàm contra eos protestatur, se suosque Symmystas *illorum authoritate ne tantillum quidem vel teneri, vel moueri; memores, plus fidei simul & obsequij deberi Deo, quam hominibus.* Ego verò similiter sentio plus fidei simul & obsequii, addo etiam honoris ac reuerentiæ deberi piissimis illis ac laudatissimis Imperatoribus & Regibus, Ecclesiæ Christianæ Nutriciis, quàm impio huic Prædicanti, cum suis asseclis, qui dum Dei se fidem tueri insolenter iactitant, diuinam pariter ac humanam pessundant.

Illud tamen, quia magis momordit Hunnium, quod ex Iouiniani Imperatoris decreto produximus, non alios, quàm Carnifices, incæstis Lutheri & Catharinæ Bornæ nuptiis paranymphos submittentis, his verbis: *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantum iungendi causa matrimony sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali sententia feriatur*; C. De Episc. & Cleri. præterire silentio non potuit Hunnius. In quam legem quædam commentus ait: *Si qua* (monialis) *se per incogitantiam deuinxit cœlibatui, nec tamen castè viuere potest extra coniugium, ac proinde cupit rescisso voto (quod temerè & contra verbum Dei* (secundum Euangelium scilicet Lutheri) *factum est) nubere, dicimus, hoc coram Deo & hominibus esse licitum, quidquid tandem*

oggrun-

*oggrunniant Suitæ, & obrudant onagri.* Mirum sanè, quod hoc non illius Iouiniani Christiani Imperatoris, sed Iouiniani ex Monacho Apostatæ assectarum decretum, expuncta illa Imperatoris lege, in Iustinianæo C. non substituatur. Mihi quidem interim ad Vulcani, non Iustiniani iura spectare videtur.

Et est profectò facinus omni flagitio turpius, locum illum S. Pauli ad Timotheum 4. omnium interpretum consensu, Tatiani duntaxat, & similium Hæreticorum, cibos quosdam & matrimonium, tanquam res per se immundas prohibentium, spurcam impietatem damnantem, contra Catholicam doctrinam de castitatis voto seruando, adeo luculenter non solùm ab omnibus S. Patribus, sed etiam in plurimis scripturæ locis Num. 30. Deuteronom. 23. Psal. 75. Isai. 16. Matth. 19. 1. ad Corinth. 7. celebratam & commendatam contorquere: Sacrilegas verò Lutheri nuptias, quasi ex Apostoli Pauli doctrina 1. ad Timoth. 3. Tit. 1. celebratas tueri. Scilicet Episcopus fuit Lutherus; scilicet vnius vxoris vir, non adulter vnius inter plures; scilicet post matrimonium ordinatus est Lutherus; & non tandem, (quod sciunt omnes) post ordines primùm sub specie matrimonii factus adulter.

Nomina, Hunni, vel ab orbe condito, vnicum saltem bonum virum, qui post votum continentiæ, nulla legitima potestate dissolutum, absque sceleris conscientia vxorem duxerit. Ostende, Hunni, ex omni Christiana antiquitate, vnum, non dico sanctum, sed modo non infamem Episcopum, aut sacerdotem, qui post ordines matrimonium iniuerit, aut qui cum vxore etiam ante sacerdotium ducta Episcopus factus, coniugale commercium habuerit. An Magister noster Christus fuit? an eius Prodromus S. Ioannes? an Petrus? an Paulus? an Ioannes? an reliqui Apostoli, qui palàm testantur se reliquisse omnia, & secutos esse Christum? An S. Hilarius? Ambrosius? Augustinus? Hieronymus? Gregorius? An ex Græcis, qui pòst alioquin plus sibi in hac re, quàm Latini indulserunt, S. Basilius? Gregorius Nyssenus? Nazianzenus? Chrysostomus? Damascenus? An ex his aut similibus quisquam diabolicam doctrinam vocauit, prohibentium nuptias iis, qui se sponte semel castitatis voto obstrinxerant? An potius omnes vno quasi ore tanquam sacrilegam damnant Lutheri hac in re contrariam doctrinam? Certè homines voto continentiæ Deo per sacros ordines obstrictos, non solum nullas post eiusmodi ordines vxores denuo duxisse; sed etiam ab iis, quas iam antea duxerant, penitus abstinuisse S. Gregorius luculentissimo exemplo declarat: quod hîc inserere visum est. *Sed neq; hoc sileam*, inquit, *quod vir venerabilis, abbas Stephanus, qui non longe ante hoc in hac vrbe defunctus est, quem ipse etiam bene nosti, in eadem Prouincia Nursia contigisse referebat. Aiebat enim, quod illi* *Gregor. lib. 4 dial. cap. 11.*

 *Presby-*

*Presbyter quidam commissam sibi cum magno timore Domini regebat Ecclesiam. Qui ex tempore ordinationis accepta Presbyteram suam vt sororem diligens, sed quasi hostem cauens, ad se propius accedere nunquam sinebat, eamque sibimet propinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis absciderat. Habent quippe sancti viri hoc proprium: nam vt semper ab illicitis longe sint, à se plerunq; etiam licita abscindunt. Vnde idem vir, ne vnquam per eam incurreret culpam, sibi etiam per illam ministrari recusabat necessaria. Hic ergo venerabilis Presbyter, cum longam vitæ implesset ætatem, anno quadragesimo ordinationis suæ, inardescente grauiter febre correptus, ad extrema deductus est. Sed cum eum Presbytera sua conspiceret, solutis iam membris, quasi in morte distentum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus eius apposita curauit aure dignoscere. Quod ille sentiens cui tenuissimus inerat flatus, quantulo adnitu valuit, vt loqui potuisset, inferuescente spiritu collegit vocem, atq; erupit dicens: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Illâ igitur recedente, crescente virtute corporis, cum magna cœpit lætitia clamare, dicens: Bene veniant Domini mei, bene veniant Domini mei, quid ad tantillum seruulum vestrum estis dignati conuenire? Venio, Venio: Gratias ago, gratias ago. Cumque hoc iterata crebro voce repeteret, quibus hoc diceret, noti sui, qui illum circumsteterant, requirebant. Quibus ille admirando respondit dicens: Nunquid hic conuenisse sanctos Apostolos non videtis? Beatum Petrum & Paulum primos Apostolorum non aspicitis? Ad quos iterum conuersus dicebat: Ecce venio, ecce venio: atque inter hæc verba animam reddidit. Et quia veraciter sanctos Apostolos viderit, eos etiam sequendo testatus est: Quod plerunq; contingit iustis, vt in morte sua Sanctorum præcellentium visiones aspiciãt, ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiã pertimescant; sed dum eorum menti internorum ciuium societas ostenditur, à carnis suæ copula sine doloris & formidinis fatigatione soluantur.* Ita S. Gregorius.

*[Fam]iliaritas [lic]ita, sed periculosa.*

An tu quoque Hunni hic figmenti, imo nefarii dogmatis exemplũ proferre potes? Nomina quæso vel vnum, qui cum Luthero aut vixerit, aut scripserit, aut senserit; Nomina, inquam, sed absque tamen mendaciis illis, & nugis iam centies à nostris protritis. An forte in tota antiquitate nullus vir probus, nulla virgo honesta, post ordines sacros susceptos, aut editum continentiæ votum, de incontinentia tentatus est? an potius etiam castitatem seruârunt, castigantes corpus suum, & in seruitutem redigentes? Si quid secus nosti, edic Hunni, profer, si potes.

*Corinth. 9.*

Sed quid posses, qui iam antè tuæ tibi imbecillitatis probè conscius, non Christianos Episcopos numeras, continentiæ voto obstrictos; sed homines à voto castitatis liberos, Iudaicos nimirum sacerdotes, & quosdam ex Prophetis; atque, si Diis placet, primos humani generis Patriarchas, Adam, Seth, Enos, Enoch, Noë, qui nisi Mariti fuissent, Prędicantes,


iam

iam vxores non haberent. Magnum ſanè malum coniugii, ſi aliunde bonum non eſſet, quod Prædicantes mundo intulit, nulli rei vtiles, quàm liberis procreandis. Omnis enim, vt ipſi loquũtur, *calidi* ſunt, nullus inter eos frigidus, nullus Eunuchus, qui ſe ipſum caſtrauerit propter regnum cælorum. Huic rei vt fides conſtaret, etiam Ratisbonæ nuper Prædicans quidam benè pellitus, ouinis quidem an lupinis neſcio, incuſatus amicè à quodam Catholico viro, quaſi *frigere* videretur, mox ruſticè interpretatus, quod vrbanè dictum fuerat, adſcitum filiolum ſuum oſtentans, quem ſecum Ratisbonam ad Colloquium adduxerat, En, inquit, vides, me *frigidum non eſſe*: quaſi verò palam antea notum non fuiſſet, Prædicantes ex ſalaci Faunorum, aut hircorum genere eſſe. Sed abſit vt matrimonium damnemus, quod adeo ſacroſanctum eſſe ducimus, vt inter ſacrilegum Lutherum, eiuſq; pellicem nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe dicamus. Quorum nuptias nec ipſe quidem Hunnius ab incæſta libidine excuſare poteſt, niſi confiteatur eos, ante matrimonium multos annos non abſque nefandis flagitiis tranſegiſſe. Quid enim? Matrimonium voto continentiæ obſtrictis non concedit Hunnius, niſi iis, qui *extra matrimonium caſtè viuere non poſſunt.* Si ergo Lutheri & Borneæ nuptiæ ſacrilegæ non fuerunt, ſequitur profectò eos extra matrimonium *caſtè viuere non potuiſſe.* Sed caſtè non poterant viuere extra matrimonium, & multis tamen annis extra matrimonium vixerunt, flagitiosè perfectò vixerunt. Ecce qualis Cham eſt Hunnius, quàm turpiter ſuos maiores defendit, quos vt honeſtos coniuges faciat, infandis prius ſceleribus aſpergit. Atque *hi* ſcilicet *pij coniuges, Monachos & ſacerdotes*, quos improbè calumniatur Hunnius (ſuo forſitan & maiorum ſuorum experimento, & nonnullorum malo exemplo vniuerſorum mores dimetiens) *omnis generis libidinibus inquinatos, præcedent in regno cælorum*, vbiquiſtico videlicet illo, quod etiam apud inferos eſt. Sed iam exempla ſcripturæ ab Hunniana imperitia vindicemus.

Matth. 19.

## CAPVT IX.

### *DE PECVLIARIBVS QVIBVSDAM EXEMPLIS cultus extra ſcripturam legitimè inſtituti.*



OBiectum in mea Relatione ad hanc rem oſtendendã primò exemplum Dauidis, quẽ dixeram abſq; vllo ſcripturæ mãdato *conſtituiſſe ſtatã lege cantores, in Organis Muſicorũ, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, vt reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ, & coram arca Domini, recordarentur operum eius, & glorificarent atq; laudarent Dominũ Deũ Iſrael.* Paralip. 15. & 16. Reſpondet Hunnius primò, Hos ritus, nõ ſpectaſſe *ad ſubſtantiã cultus diuini, ſed ad εὐσχημοσύνην & ornatũ diuini cultus*, per Moyſen olim pſcripti. Sed hoc nihil eſt,

Apol. pa. 278.

hil eſt, quanquam enim non pertinuerint ad ſubſtantiam cultus à Moyſe inſtituti, quod libenter fatemur; erant tamen ipſi per ſe cultus, aut ſanè pars quædam cultus diuini, quod hac ratione euidens eſt. Omnis enim actio, qua Deus colitur, eſt cultus, aut ſanè pars cultus diuini: cæremoniis illis ac ritibus à Dauide inſtitutis Deus colebatur, vt ex ſacra ſcriptura loco citato manifeſtum eſt: ergo erant cultus, aut ſaltem pars cultus diuini. Accedit, quod etiamſi cultus non eſſent (quod tamen falſum eſt) adhuc tamen vel hoc vnico exemplo euerteretur ſimul & aduerſariorum aſſertio, qua dixerant, *omnes conſtitutiones exercitiorum Religionis ex ſolo verbo Dei ſcripto fuiſſe ſuſceptas*; & eorum fundamentum repoſitum in locis Deuteronomij 4. 5. & 12. quibus ſcilicet aut hoc vniuerſim probatur, nihil penitus circa religionem, aut mores, aut cæremonias quoquo modo addere licitum fuiſſe, quod tamen ipſimet Hæretici agnoſcunt falſum eſſe, & ſanè propoſito exemplo euidenter falſum eſſe conuincitur: aut nec hoc quidem probant; quicquam in cultu, quoquo modo addere illicitum fuiſſe, vt ſupra euidenter oſtendimus.

Secundò reſpondet, Dauidem iſta *non inſtituiſſe, ſub opinione neceſſitatis, multò minus ſub opinione iuſtitiæ, aut meriti remiſſionis peccatorum, & vitæ æternæ; ſub qua opinione*, inquit, *hypocritica & idololatrica Pontificij ſua ſacra peragunt*. Sed reſpondeo ſatis eſſe aliquid in cultu extra ſcripturam Moyſis in veteri lege ritè, quacunque demum intentione inſtitutum protuliſſe. Deinde quod ait, non *ſub opinione neceſſitatis* fuiſſe eos ritus inſtitutos, aut falſum eſt, aut friuolum. Hoc quidem, ſi duntaxat velit Prædicans, Dauidem non cenſuiſſe, hæc per ſe ad cultum diuinum ſimpliciter neceſſaria eſſe. Nam nec Catholici quidem, pleroſque cultus, quos aduerſarii impugnant, verbi gratia, peregrinationes ad Baſilicas & memorias Sanctorum, feſtiuitatem ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſolenni pompa ac cæremonia venerationis ergo circumgeſtandæ, cæremonias Miſſæ &c. per ſe ſimpliciter & abſolutè neceſſarios exiſtimant. Falſum eſt autem, ſi velit, Dauidem non ſanxiſſe eiuſmodi ritus à ſuis ſubditis neceſſario ſeruandos; ſed eos potius eorum arbitrio permiſiſſe. Colligitur enim contrarium apertè non ſolùm ex loco citato, ſed etiam ex 2. Paralipomenon 29. vbi de Ezechia dicitur; *Conſtituit quoque Leuitas in domo Domini cum cymbalis & pſalterijs & cytharis ſecundum diſpoſitionem Regis Dauidis, & Gad videntis, & Nathan Prophetæ* SIQVIDEM DOMINI PRÆCEPTVM PER MANVM PROPHETARVM EIVS. Eandem conſtitutionem obſeruatam legimus à Ioſia 2. Paralipomenon 35.

Similiter aut falſum, aut friuolum eſt, Dauidem non inſtituiſſe cæremonias illas *ſub opinione iuſtitiæ*, ſi enim per *iuſtitiam* intelligat remiſſionem peccatorum, primamque diuinæ gratiæ acquiſitionem, vt ſenſus ſit, Daui-

ſit, Dauidem non ſic inſtituiſſe cæremonias illas, tanquam ſi per illas præcisè homines iuſti coram Deo fierent, aut quaſi etiam eorum obſeruatio per ſe fuerit propinqua diſpoſitio ad iuſtitiam; Verum quidem eſt, quod dicit; ſed extra propoſitum: cum nec nos quidem hac opinione iuſtitiæ vllas externas cæremonias ab Eccleſia inſtitutas agnoſcamus. Si verò neget, eos ritus exiſtimatos fuiſſe opera bona, Deoq; grata; apertiſſimè falſum eſt, quod dicit; cum extra omnem controuerſiam ſit, eos ritus Deo placuiſſe, vt ſatis ſupra oſtenſum eſt.

Demum verò cum aſſerit, Dauidem non inſtituiſſe ritus illos, *ſub opinione meriti remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ*, verum dicit: ſed mentitur, cum ait, Catholicos ſub hac opinione ſuos cultus vſurpare. Licet enim fateamur, bona opera ex charitate facta, meritoria eſſe vitæ æternæ cum S. Paulo 2. ad Corinth. 4. 2. ad Timoth. 4. & ipſomet Dauide Pſalmo 114. &c. tamen ſub opinione meriti remiſſionis peccatorum (propriè loquendo) nullam penitus actionem, nedum externum eiuſmodi opus exercemus: neque verò vllus vnquam Catholicorum dixit, exerceri ſic poſſe.

Tertio reſpondet Hunnius, ſi etiam concederetur, iſtos ipſos ritus fuiſſe inſtituti diuini cultus partem, eſſe *tamen inter Dauidem & Papam immenſam differentiam, quod ille Prophetica erat authoritate præditus, & Nathanem Prophetam ſibi familiarem habuit; nihil verò eiuſmodi de Papa probari poteſt.* Sed imprimis hoc etiam nihil ad rem facit. Satis enim eſt in propoſito, oſtendiſſe, cultum quendam Deo placentem, etiam in veteri teſtamento extra ſcripturam inſtitutum fuiſſe; quod tanta pertinacia ſemper negârant aduerſarii. Deinde non illud quidem, quod Hunnius Dauidi tribuit, ſed tamen vno quodam genere, etiam amplius quiddam de Romano Pontifice probârunt Catholici; eum nimirum eſſe ſucceſſorem Petri, & Vicarium Chriſti in terris, atque adeo in diiudicandis controuerſiis non Nathanem quidem Prophetam, ſed Prophetarum Doctorem Spiritum ſanctum ſibi aſſiſtentem habere, de quo nos alibi etiam contra Hunnium ſat multa diximus & infra capite 13. plura. Accedit, quod plerique cultus Romanæ Eccleſiæ ab aduerſariis improbati, non ſunt primum à Pontifice excogitati, ſed ab Apoſtolis traditi. *Apol. Præfat. cap. 3.*

Alterum exemplum cultus extra ſcripturam legitimè inſtituti in Relatione producturus, dicebam: *Vbi ſcriptum legerant Dauid ac Salomon, vt templum Domino ædificandum curarent, & varijs quoq; imaginibus ac ſtatuis exornandum, 1. Paralipomenon 17. &c. Et 2. Paralipom. 4.* Quoad templum reſpondet Hunnius, id opus niti ipſius Dei mandato, quod initio voce Nathani Prophetæ Dauidi annunciatum, poſt in literas relatum eſt. Sed hoc ipſum eſt, quod volo: nimirum non omnes conſtitutiones exer-

citiorum Religionis ex solo verbo Dei scripto fuisse susceptas, vt in tertia Sessione contendebant Prædicantes: Sed quoddam exercitium Religionis, cultumque diuinum legitimè fuisse institutum extra verbum scriptum; ac proinde scripturam non esse vnicam normam cultus, &c. Neq; refert, quidquam, quod cultus iste postea scriptus fuerit: prius enim fuerat institut⁹, quàm scriptus; atq; adeò ex verbo scripto nequaq̃ institutus.

Quoad imagines & statuas respondet, hoc *factum esse iuxta Ideam Dauidi commonstratã, atq; sic iuxta expressum Dei mandatum idq; scriptũ. Postquam Dauid Salomoni exposuisset, qua forma exstrui deberet templũ, vna cum vasis & vtensilibus eius, subijcere: Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris 1. Paralip. 28.* Hunc locum tãquam si thesaurum inuenisset ita ostentat. Sed respondeo breuiter, Hunnium nugari, non ad quæstionem meam propositam respondere: Quæstio nobis est, non de scriptura aliqua priuata, quæ extra corpus Biblicum contineatur, qualem fuisse scripturam illam ipsemet Hunnius agnoscere cogitur, sed de scriptura publica, quæ pro communi norma Religionis omnibus sit proposita, contenta perfecto illo systemate scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, quod toties in Colloquio aduersarii pro vnica norma fidei & cultus proclâmarunt, & extra quod dixerant nullam constitutionem exercitii Religionis Deo placuisse, ad quod etiam dixerant, nihil potuisse quoquo modo addi, &c. Talem scripturam ostendat mihi Hunnius, aut victum se fateatur, falsaq; omnia, quæ toties de vnica norma Religionis, de omni additione & quidem ad libros Moysis etiam duntaxat, prohibita, de institutione Religionis ex solo verbo scripto tam cõfidenter iactauerat. Certè quoniam à me rogatus nullam talem ostendere potuit, cum tamen si vera sunt, quæ de additione ad libros Moysis prohibita dixerat, atq; adeo si iure agendum sit, etiam ex Pentateucho scripturam de eiusmodi templi ornamentis conficiendis monstrare deberet; nõ sanè *turpiter se dedit Tannerus* quærendo, sed turpiter suam causam prodidit potius Hunnius, adeo imperitè respondendo; qui etiam hoc nôrit, Iesuitas, quibus scilicet scripturæ ignorantiam exprobrat, in sacros scripturæ libros adeo luculentos edidisse commentarios, vt etiam in hac re Prædicantes sine rubore eorum fieri possint discipuli.

Tertium exemplum proposueram de Ezechia Rege, qui sine scripturæ mandato, communi consilio *principum, & vniuersi cœtus Hierusalẽ* statuit, posse ob hanc quoq; causam, *quod sacerdotes, qui possent sufficere* Phase celebrando, *sanctificati non essent*, licitè *mense secundo celebrari Phase*, 2. Parali. 30. *Neq; vero Num. 9. quidquam hac de re statuitur.* Respondet Hunnius, hoc esse factum ex præscripto legis Num. 9. Sed hoc, vt in Relatione dixeram, falsum est. Nam primò Nu. 9. nusquam habetur, totam celebritatem

tatem Paſchalem transferri poſſe in menſem ſecundum. Sicut tempore Ezechiæ factum eſt; ſed hoc ſolum ſtatuitur, vt ſi qui celebrato Phaſe mẽſe primo, adhuc ſupereſſent, qui vel ob legalem immunditiã, vel ob itineris confectionem impediti fuiſſent, quo minùs deſignato tempore Paſcha celebrarent. hoc facerent menſe ſecundo: ab iis interim, qui impediti non eſſent, Phaſe ſuo tempore celebrato. Quod ſanè longè minus eſt, quàm vniuerſam celebritatem Paſchalem, etiam quoad mundos, nec itinere impeditos, in aliud temp⁹ differre; vt proinde ab illo quod in lege conceſſũ, ad hoc quod ab Ezechia factum eſt, nulla planè duci poſſit conſequentia. Deinde nuſq̃ in toto illo capite Numerorũ conceditur, poſſe ob eã cauſam, ꝙ ſacerdotes *non ſufficerent Phaſe celebrando*, differre, reſpectu vllius rectè diſpoſiti, Paſchatis celebrationẽ, vt factum erat ſub Ezechia: ſed ſolũmodo conceditur duobus hominũ generibus, vt Paſcha ſecundo menſe celebrare poſſint; Primò, ſi quis immund⁹, deinde ſi quis in itinere fuit: vt patet cũ ex aliis, tũ ex illis verbis: *ſi quis autẽ & mundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia ſacrificiũ Domino non obtulit tẽpore ſuo.* Quæ lex, ſi accipiat, abſq; omni exceptione atq; reſtrictione vt ſonat, tantũ abeſt, vt Ezechiæ aut ſacerdotibus, aliiſue qui nec immundi, nec in itinere erant, differendi Paſchatis celebrationem, indulſerit, vt eiuſmodi dilationem potius apertè damnaret.

Huic ergo reſponſioni cum Hunnius ipſe minus fideret, & ſimul etiam animaduerteret, aliud quippiam in eo genere præter legem Dei, imo verbo tenus etiam contra legem Dei factum, quod videlicet, vt 2. Paralip. 30. dicitur: *Magna pars populi de Ephraim & Manaſſe & Iſſachar & Zabulon, quæ ſanctificata non fuerat, comedit Phaſe, non iuxta quod ſcriptũ eſt, &c.* Idcirco alteram quoq; reſponſionem attexit, Ezechiam videlicet hæc feciſſe, aut *ex peculiari Dei reuelatione*, vel ex *inſtinctu & conſilio Prophetæ Iſaiæ.* Sed vt minimè dixerim, Ezechiam inconſulto Deo, eorum quidquam attentaſſe, ita contra aduerſarios, hoc exemplo firmiſſimè demonſtratur, aliquem cultum abſque ſcripto Dei mandato etiam in veteri lege ſuſceptum Deo placuiſſe; atque adeo non omnem additionem ad cultum, & detractionem circa cultum, à Deo fuiſſe prohibitum; neq; vero etiam Pentateuchum Moyſis fuiſſe vnicam normam cultus & Religionis populo Iudæorum: vt etiam hic rurſus manifeſtè victi & vincti à nobis teneantur Prædicantes.

Quartum exemplũ. Produxeram eiuſdem Ezechiæ, cuius ductu, & ſimul etiam cõmuni multitudinis cõſenſu factum eſt, vt ad vni⁹ hebdomadis Paſchalis à lege præſcriptæ feſtiuã ſolẽnitatẽ, alia hebdomas Paſchalis adiiceretur. 2. Parali. 30. Quid hîc Hunnius? *Reſpondetur*, inquit, *etſi hoc poſtremũ non habebat ex verbo ſcripto, tamẽ ex verbo Domini habuit, per Prophe-*

*tam sæpe dictum* (Esaiam) *annunciato.* Rectè, mi Hunni; sic perge. Parum abest, quin Catholicus saluteris. Fateris ergo, aliud verbum Dei traditum, præter verbum Dei scriptum. Fateris non omnem Religionis constitutionem & reformationem ex solo verbo scripto susceptam. Fateris non omnem additionem ad legem scriptam legitima authoritate (diuina videlicet, qualem & in Romano Pontifice veneramur) factam, esse prohibitam. Optimè sanè, hoc ipsum scilicet volebam. Macte, Hunni, virtute noua, sic itur ad astra. Neq; verò illud tibi abrogauerim, Ezechiam *habuisse probabiles facti sui rationes* (licet alibi velis *rationem* esse *cæcam*) cum scripto verbo congruentes. Nam nec nos traditiones Catholicas ita à ratione & scripturarum authoritate & exemplis destitutas dicimus, vt earum probabiles rationes scripto verbo congruentes reddi non possint: quin potius ipsimet Catholici tractatores de singulis rationes sanè probabiles, & scripturæ consentaneas adferunt. Sed de hoc quicquid sit, nihil iam disputatur, & diuersa quæstio est, anné hæ vel illæ traditiones scripto verbo sint consentaneæ, de quo iam nihil disputamus; & an vllæ omnino traditiones extra scripturam in materia cultus aut fidei admittendæ sint; in qua quæstione nostram causam contra Hunnium nunc euicimus.

Quintum exemplum produxeram Iosiç, qui præter legem & morem omnium Regum Israël, à diebus Samuelis Regis, splendidissimum celebrauit Pascha, 2. Paralip. 35. Negat Hunnius hinc consequi, Iosiã *aliquid in cultu addidisse, quod nec in scripto verbo contineatur, nec inde deduci possit.* Sed vt verbis Hunnij vtar, *blemi & bucones sint oportet, qui veritatem consequentiæ non animaduertunt.* Sacrificiis victimas ministrare, easque in honorem Dei mactare, an non est aliquid ad cultum spectans? Cum ergo Iosias longè plures, quàm lex iusserat, victimas ad sacrificia Paschalia obtulerit, sacerdotesque eas in honorem Dei mactârint, vt loco citato, non abnuente Hunnio, scriptura refert; sequitur profectò, aliquid in cultu extra legem scriptam à Iosia & sacerdotibus, in Paschatis illius celebratione, fuisse additum.

*Apol. pa. 285.*

Sextum exemplum cultus extra scripturam instituti adduxeram solennitatem Phurim, quam in memoriam diuini beneficii, quo populus Israel à tyrannide Ammonis liberatus fuerat, scripta hac de re epistola cunctis Iudæis, omni studio seruandam proposuerunt Esther & Mardochæus, Esther 9.

Septimi exempli loco adduxeram similiter festiuitatem illam Encæniorum, institutam à Machabæis 1. Machab. 4. & ab ipso Christo honoratam & approbatam Ioann. 10.

*Apol. pa. 286.* Respondet Hunnius ad vtrumque. Primò, *magnum esse discrimen* inter

inter festa per Moysen præcepta ab ipso Deo, & inter festa Phurim & Encæniorum introducta ab hominibus. Illa enim *propter expressum Dei mandatum fuisse partem Religionis Israeliticæ, quam per pietatem omittere non licebat. Hæc verò fuisse liberè instituta & obseruata.* Sed hoc primò nodum non tangit, multò minus dissoluit. Qualecunque enim discrimen sit inter vtrasque festiuitates (esse enim aliquod nos ipsi procul dubio fatemur) satis est festiuitates quasdam in honorem Dei (atque adeo sub ratione cultus) extra scripturam ritè constitutas & obseruatas fuisse. Deinde falsum est, tales festiuitates ab hominibus institutas, liberè obseruatas fuisse; quasi videlicet non fuerit necessarium (necessitate præcepti) etiam secluso scandalo, eos obseruare. Contrarium enim apertè comprobatur ex citato loco Esther 9. Vbi post mandatum Mardochæi recitatum, dicitur; *suscepisse Iudæos in solennem ritum cuncta, quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda* MANDAVERAT. Et paulo inferius post alia legimus; *suscepisse Iudæos super se & semen suum, & super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari,* VT NVLLI LICEAT *duos hos dies,* (Phurim) *absque solennitate transigere; quos scriptura testatur, & certa expetunt tempora, annis sibi iugiter succedentibus. Isti sunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio; & per singulas generationes cuncta in toto orbe prouinciæ celebrabunt, nec est vlla ciuitas, in qua dies Phurim, id est sortium, non obseruētur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his* CÆREMONIIS OBLIGATA EST. Et mox dicitur, Reginam & Mardochæum scripsisse epistolam secundam, *vt omni studio dies ista solennis sanciretur in posterum.* Eandem fuisse rationem solennitatis Encæniorum quis dubitet? Significat hoc scriptura loco citato non tantum referens, *factam esse dedicationem altaris diebus octo, & oblata holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris & laudis, & ornatam faciem templi coronis aureis & scutulis, &c.* sed etiam *statuisse Iudam* (tanquam summum Pontificem) *& fratres eius, & vniuersam Ecclesiam Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, &c.* 1. Machab. 4.

Agnoscunt hoc ipsum Iudæi, qui hanc ipsam festiuitatem in suum Calendarium inter cæteras anni festiuitates celebrandam retulerunt. Confirmat denique Christus, qui cultum eiusmodi, etiam sub opinione necessitatis susceptum non improbauit, sed sua quoque præsentia condecorauit, Ioan. 8.

Addit secundo, distinguendum esse, *inter ipsam gratiarum actionem pro acceptis beneficijs, quæ est cultus Dei, & inter circumstantiam temporis quæ ad adiaphora refertur.* Ex quo colligere velle videtur, nullum nouum cultum extra verbum Dei ab hominibus fuisse institutum, vt etiam in Colloquio circa Christiani Paschatis solennitatem indicabat. Verùm

etsi nec ipsa circumstantia temporis per se diuinus cultus sit, neque etiam gratiarum actio (eadem est ratio cæterorum eiusmodi officiorum Religionis in festiuis solennitatibus Deo exhiberi consuetorum) ex suo genere planè ἄγραφος & nouus cultus sit: attamen ipsamet per se obseruatio religiosa eiusmodi dierum adæquatè spectata, quatenus videlicet, ob peculiare aliquod beneficium in honorem Dei sine diuini verbi præscripto suscipitur, peculiarem etiam vtique Dei cultum constituit, distinctum ab aliis, siue ex lege scripta, siue ex traditione seruari solitis, quibus aliud Dei beneficium alio tempore grata memoria recolitur: idque non solùm quatenus officia illa Religionis (quæ & ipsa à circumstantia temporis & finis peculiarem cultus rationem induunt) eiusmodi diebus religiosè exercentur; sed etiam quatenus præcisè eiusmodi diebus, in honorem Dei peculiarem à seruilibus ac profanis operibus abstinetur. Sic verò cultus ipsos distingui ex eo patet, quod cũ alioqui à sacerdotibus & in Calendis, & die quolibet Paschatis, & in solennitate nouarum frugum idem sacrificiorum numerus & modus ex Dei lege complendus esset. vt patet Num. 28. nihilominus tamen solennitates illæ diuersæ erant; atque adeo singulæ peculiarem cultum continere censebantur, quia videlicet ob diuersum finem & diuerso tempore peragebatur.

Addit Hunnius tertio, festa illa *non pugnare cum scripto verbo Dei.* Planè quidem; hoc ipsum scilicet dicimus. Quod si pugnarent, nihil ad nostrum institutum facerent. Pergit Hunnius: *Non imponi hominibus sub opinione iustitiæ, aut cultus, aut meriti, aut necessitatis, qua laqueus inijciatur conscientijs, quem in modum,* ait, *festa Pontificiorum indici solent.* Sed hæc aut turpiter falsa, aut inanes latebras esse supra ostensum est.

*Apol. pa. 287.* Quod si, vt Hunnius concedit, etiam Paterfamilias posset festiuitatem aliquam singularem annuatim in honorem Dei recolendam liberis indicere, quamdiu ipse quidem caput familiæ est; poterit, multò magis publicus & perpetuus in Ecclesia magistratus nouam aliquam festiuitatem, non tantum vni familiæ & cultu priuato, sed etiam toti communitati & cultu publico celebrandam liberè quidem indicere, sed post introductam legem, à subditis necessario seruandam. Quæ cum ita sint, satis apparet, ex omnibus exemplis cultus, extra scripturam legitimè instituti, hactenus ex scriptura productis, Hunnium ne vnicum quidem amoliri sic potuisse, vt suæ causæ aduersum non esset.

CAPVT

# CAPVT X.

## DE LOCIS QVIBVSDAM SCRIPTVRÆ NOVI TEstamenti, quæ contra traditiones obiiciunt Prædicantes.



IXimus hac de re multa passim alibi, sed nihilominus tamen operæ pretium videtur, vnum vel alterum locum huius generis, quem insolentius vrget Hunnius, breuiter discutere. Relat. Comp. Exam. Hun. Relat. Apol. Præfat. &c.

Primus est ille ad Gal. 1. *Si quis vobis Euangelizauerit præter id, quod accepistis, Anathema sit.* Vnde iam Hunnius in hunc sensum argumentatur. Sanctus Paulus eo loco vocat Anathema eum, qui præter Euangelium à se prædicatum aliud Euangelium prædicat: ergò quidquid in materia doctrinæ & cultus additur, præter verbum scriptũ, reprobandum est. Respondetur, quidquid sit de antecedente, ineptã esse consequentiam; eò quòd ex particulari inferat vniuersale; vt quia videlicet *Euangeliũ nouũ* addi non possit, non possit etiã addi quidquam in materia doctrinæ & cultus; cum tamen hæc multò latius pateat, quàm *Euangelium*, si quidem, per Euangelium intelligatur felix illud nuncium, de mysterio illo Christi, ac humanæ Redemptionis. Quod si apud sanctum Paulum acceptâ voce Euangelizandi latius, pro qualibet videlicet prædicatione in materia cultus & doctrinæ, hoc modo formetur argumentum: Sanctus Paulus eo loco vetat quidquam prædicari in materia cultus & doctrinæ extra verbum à se prædicatum: ergò nihil etiam potest addi ad scriptum verbum in materia cultus & fidei. Tunc primò quidem antecedens falsum est, cum satis antea demonstratum sit, posse superiores etiam in materia cultus nouas leges ferre, atque etiam in Colloquio probatũ, voculam, *Præter*, eo loco apud sanctum Paulum non accipi pro, *Extra*; sed pro, *Contra*. Deinde verò simul inepta est consequentia, quando ex eo quod prædicato verbo longè latius patenti nihil addi potest, infert, etiam scripto verbo (quod minus late patet) nihil addi posse. Sic ergo habet quod in vtrinque *cornuta* sua argumentatione sanet Hunnius, nisi fortè potius abiectis cornibus humanum posthac sapere velit. Apol. pa. 323.

Interim mendacium est, me in Colloquio non respondisse, ad illud, quod rursus ex Protocollo obiicit diléma; cum his verbis planissimè responsum sit: *Circa illũ locum ad Gal. 1. Si quis aliud Euangeliũ prædicauerit pter, &c. Quærit aduersarius, an liceat Euangeliũ prædicare, quod à Paulo prædicatum* Protoco. Monac. pag. 131.

non

*non sit. Respondeo; minimè licere. Per Euangelium enim intelligitur bonum illud nuncium Incarnationis Christi & Redemptionis humanæ; præter quod sanè Euangelium aliud prædicari non potest. At verò traditiones Ecclesiæ aliud Euangelium non sunt, sed declarationes quædam tantum sunt, & determinationes circa cultum aut mores, scripturæ ipsimet, & Euangelio conuenientes.* Ita ibi ad verbum; ex quo cum his quę à me iam dicta sunt, collato, patet, eam solutionem etiamnum planè inuictam stare.

Quæ circa locum ad Gal. 3. ab aduersario in Colloquio producta, & à nobis responsa sunt, in mea Relatione his verbis in summam contracta retuli. *Sextus locus* (in Colloquio prolatus est) *ad Gal. 3. Vbi dicitur testamento (etiam humano) nil addi posse, quanto minus ergo diuino? Responsum est; hinc tantum colligi nihil posse ipsi scripturæ inseri; traditiones vero non scriptas omnes repudiandas, Minimè.* Hic Hunnius ait, me ipsum *vincta mea cedere. Nam si,* inquit, *traditiones Pontificiæ sint eius generis, vt cum scriptura nihil pugnent, quid nì poterant inseri scripturæ?* Egregiè sanè. Sic ergo Hunnius Lutheri flagitium imitatus, addat scripturæ sua dogmata, quæ ei aduersa non putat; sic suis instrumentis politicis inserat, quæ eis conformia ipse esse censet; & tunc meo quidem iudicio facile apud quemuis iudicem superior euadet, si non causa, saltem loco.

*Relat. part. 1. cap. 10.* Addidi in Relatione. *Nam etiam extra testamentum potest testator peculiari quodam codicillo, seu fideicommisso, quasdam dispositiones relinquere, quæ non minùs certè executioni mandanda sunt, quàm ea, quæ testamento constituta sunt:* quod etiam in Colloquio prolixius explicaueram. Respondet Hunnius, hoc friuolum esse; *Etenim si quis,* inquit, *in testamento suo non comprehendisset omnia hæredibus scitu necessaria, sed quædam peculiari commisisset codicillo, is testamento nunquam insereret talem clausulam de non addendo quidquam, aut certè in ea clausula, additionem secludente, claris verbis exciperet id, quod codicillo peculiari curarat inseri. Talis vero exceptio non reperitur in locis Deuteronomij, sed διαῤῥήδην omnis additio (in negotio diuini cultus) sine vlla prorsus exceptione reijcitur, quod testantur verba luce omni splendidiora.*

Sed respondetur, vt alia responsa ad illa Deuteronomij loca taceam, superius capite quinto & in Colloquio adducta; Deum sufficientissimè declarasse, se locis illis non prohibere quamlibet additionem: sed solum eam, quæ præceptis Dei, eorumque perfectæ obseruationi contraria esset, vt & in Colloquio, & supra capite quinto euidenter ostensum est; idque etiam amplius confirmari potest, ex antecedentibus & consequentibus eorum locorum. Nam capite quarto cum dictum esset: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo;* statim quasi declarationis causa additur; *Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.*

Cap. 5.

Cap.5.quod alioquin etiam citare solent aduersarii, nihil prorsus dicitur de non addendo, sed generatim populo exacta præceptorum Dei obseruatio commendatur his verbis: *Custodite igitur & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Cap.12. illud: *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas:* solùm spectare ad excludendam Ethnicorum impietatem, cæteraque Mosaicæ legi aduersantia, manifestè colligitur ex præcedentibus. Sic enim habent. *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus, ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atq; habitaueris in terra eorum: Caue ne imiteris eas, postquam fuerint te introeunte subuersæ, & requiras cæremonias earum dicens: sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facias similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Dijs suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* Quæ verba mox iam sequitur illud: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Sed de his locis plura loco citato.

Ex dicto Abrahami ad Epulonem dixeram cap.11.Relationis part.1. Prædicantes ineptissimã exstruxisse consequentiam: Deus mittit Epulonis amicos ad Moysen & Prophetas: Ergo Moysis & Prophetarum scripta sunt vnica norma Religionis. Hanc verò Hunnius tueri conatur: Neque enim verisimile esse, ad normã insufficientem esse missos. Respondetur 1. aliud esse, scripturam *sufficientem* esse normam, & *vnicam* esse normam, vt supra cap.6.explicatum est. Deinde respondeo, scripturam sufficientem fuisse normam ad rem de qua agebatur monstrandam, ad informandos scilicet Epulonis fratres de statu alterius vitæ, atque adeo de præmiis bonorum & pœnis impiorum. Sed non ideo sequitur, scripturam per se solam, exclusis traditionib⁹, absolutè esse sufficientem normam omnis doctrinæ fidei: Quod etiam ex hoc ipso loco facilè colligitur, quando Abraham misit illos ad Moysen & Prophetas, non vt eas per se ipsi legerent, errandi fortasse potius, quàm eruditionis occasionem inde sumpturi; sed vt eas *audirent*, explicatas videlicet iuxta veterum interpretationem atque traditionem, secundum illud: *Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, &c.* Neque verò traditiones eiusmodi publicæ & in Moysis cathedra continua successione retentæ à Christo reprehendebantur; sed illæ recens contra scripturam, aut humana quadam solum ac priuata authoritate excogitatæ, vt alibi diximus, & magis patebit capite sequente.


*Luca.16.*

*Matth. 23.*

M CAPVT

# CAPVT XI.

## DE SACERDOTIBVS, SCRIBIS ET PHARISÆIS veteris testamenti.



DIxeramus in Colloquio sacerdotes veteris testamenti in publicis & dubiis Religionis controuersiis definiendis authoritatem habuisse infallibilem. Licet enim ex Catholicis sint nonnulli, qui existiment, non ita certum esse hoc, ideoque etiam quidquid demum ab illis erratum sit, nihil hoc præiudicare infallibili authoritati summi inter Christianos Pontificis Romani, sacerdotumque Christianorum generalis Concilij; Tum quia illi nō habuerint adeo præclaras promissiones infallibilitatis, vt noui testamenti Episcopis factas constat; Tum quia Synagoga non erat Ecclesia perpetuo vsque ad mundi finem permansura; sed potius aliquando finem habitura; Tum quod promissiones in veteri testamento factæ hypotheticæ tantum & conditionatæ, non absolutę fuisse videntur; Tum quia Deus in veteri lege magis extraordinariâ quadam Prophetarū, quàm ordinaria Pontificū authoritate Ecclesiā regere voluisse videatur: Attamen contraria aliorum opinio, mihi semper visa est, & tutior, & certior, atq; adeo scripturis conuenientior; quā etiam in Colloquio defendendam suscepimus, & probauimus primò ex Deuteronomij ca. decimo septimo. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem*, CAVSAM *&* CAVSAM, *lepram & non lepram; & iudicum inter portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis; qui* INDICABVNT TIBI IVDICIS VERITATEM. *Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint iuxta legem eius, sequerisque sententiā eorum; nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis* MORIETVR HOMO ILLE, *& auferes malum de Israel; cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.*

Secundo idipsum probauimus ex secundo Paralipomenon: 19. Vbi legimus Iosaphat, pium Regem, hanc iudicii sacerdotalis authoritatem, ad Mosaicæ legis, præscriptum, rursus quasi instaurasse, his verbis sacerdotes & Leuitas alloquendo: *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis inter cognationem & cognationem, vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniys, de iustificationibus.*

*tionibus: Ostendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos & super fratres vestros: Sic ergò agentes non peccabitis; Amarias autem sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.*

Tertio produximus ex Malachia illud capite secundo; *Labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Quod etiam maiorem vim habet collatum cum præcedentibus: *Lex veritatis fuit in ore eius* (Leui scilicet, siue Leuiticæ tribus) *& iniquitas* (quoad publicam illam doctrinam) *non est inuenta in labijs eius: In pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.*

Quartò produximus illud ex Euangelio Matthæi 23. *Super Cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* Vbi quid per cathedram Moysis intelligatur, & quamdiu illa permanserit; explicatum est in Apolegitico Præfationis contra Hunnij deliramenta. *Cap. 7.*

Iam verò contra hæc varia obiicit Prædicans: & vt ordine aliquo seruato progrediamur, subinde statum quæstionis turpissimè corrumpit: tanquam si quæstio nobis sit, an sacerdotes etiam in moribus atque in cultu publico, variis etiam Idololatriæ peccatis sese contaminando, errare potuerint. Huc enim spectant pleraque testimonia quæ ex Isaia & Hieremia prolixè recitauit. Subinde etiam mendacia admiscet, ex quibus illud luculentum est, *Pontificios dictitare, sacerdotes nunquam in cultu publico exercendo errâsse.* Nunquam enim dixerunt Catholici, Pontifices nunquam in publico cultu, aut priuatis moribus errâsse; sed hoc solùm, eos nunquam in *definiendo* (nota Hunni, si quando dubia quæpiam Religionis controuersa decidenda erant) errâsse: nec etiam errare potuisse, quandiu penes eos summa iudiciaria potestas in terris persistebat. *Apol. pa. 130. & c. 137. &c. Apol. pa. 129.*

Secundum mendacium est, D. Gretserum simpliciter & sine limitatione negâsse, Aaronem fuisse summum sacerdotem; cum in eodem ipso loco, quem Hunnius allegat, addat restrictionem: Sic enim habent eius verba: *Dicimus quidem Aaronem fuisse Pontificem, sed non summum*: (quæ sola verba recitauit Hunnius, omissis istis, quæ continuò sequuntur) *verùm comparatione sui fratris Moysis.* Et mox infra eadem pagina. *Respondeo;* (Aaron) *in suo genere summus fuit propter reliquos sacerdotes; non autem fratris respectu.* Neque verò, vt Hunnius fingit, sibi contradicit, qui alicuius argumenti solutionem primò ex aliorum sententia recitat; deinde etiam ipse probat, & sequitur. *Apol. pag. 74. Protoco. Monac. pag. 38.*

Apol. pag. 76. Tertium mendacium est, D. Gretserum Vriam, si mente inciderit in Idololatriam *deiecisse ab officio*. Falsum; cõiunxit enim vtrunq; si *non tantùm exterius, sed etiam mente* inciderit *tum excidisse illum à Pontificia potestate*, vt ipsamet verba prius ab Hunnio recitata habent. Neq; tamen ideo dicendum est, Caipham quoque statim vt publicè Hæreticus fact⁹ est, ex sua potestate excidisse; vt ineptè putat Hunnius pag. 75. Quandoquidem enim Caiphas non erat summus absolutè Iudex in terris; sed Christus, à quo tanquam à superiore, sua potestate poterat priuari; non est ex Catholicorum doctrina etiam ad Pontifices alioqui veteris testamenti accommodatâ, vllo modo consequens, ipsum per se tali potestate sua ob Hæresin excidisse.

Apol. pag. 82. Quartum mendacium est, me absolutè dixisse, scribas & Pharisæos non habuisse authoritatem iudicandi infallibilem, cum ego restrictè tantum dixerim, Pharisæos & scribas, quâ præcisè *tales* erant, Pontifices aut iudices populi non fuisse, ac proinde quâ tales publicam aliquam authoritatem definiendi, aut leges ferendi non habuisse, vt videre est eo ipso loco & Sessione sexta, quam Hunnius citauit. Alioqui ipsos etiam summos Pontifices & iudices populi ex scribis aut Pharisæis fuisse, quorum proinde iudicium & definitiua sententia in aliqua dubia Religionis controuersia publica authoritate lata fuerit infallibilis, iuxta illud Matth. 23. *Supra cathedram Moysis, &c.* nunquam negaui, sed potius apertè affirmaui. Sed de hac re contra Hunnianas Antilogias dictum est etiam in examine Hunnianæ Relationis.

Protoco. Monac. p. 109. 010.

Apol. pag. 82. Quintum eiusdem generis mendacium est, me merè *humana pronunciasse ea, quæ scribæ & Pharisæi constituissent*. Non ita, mi Hunni, generatim locutus sum, sed speciatim de superflua quadam traditione lotionis manuum, quam dixeram esse latam à scribis & Pharisæis non habentibus potestatem constituendi leges. Non enim habuerunt omnes, vt supra dixi, sed ii solùm, qui simul etiam Pontifices erant, aut alioquin publicum magistratum in Synagoga agebant. Reliqui verò Doctores priuati esse poterant, sed non Legislatores, vt loco citato explicaui. Atque ex his nimirum & similibus mendaciis suis labyrinthum exstruit Hunnius. Sed videamus cætera, quibus nostra illa pronunciata oppugnat.

Protoco. Monac. p. 109. 110.

Apol. pag. 80. Primo verò contra allatas probationes obiicit, sacerdotes non fuisse audiendos, nisi *iuxta legem* pronunciantes sententiam: vt patet ex primo & tertio loco producto. Vnde duplicem conatur inferre consequentiam. Prima: Ergò fieri poterat, vt aliquando non iuxta legem sententiam ferrent. Altera: Ergo ad scripturam tanquam ad vnicam normam allegati erant. Sed falsa est vtraque consequentia, vt etiam alibi ostendimus. Prima quidem, quia particula, *iuxta legem*, non hypotheticè illic in scriptura

ptura ponitur, hoc nimirum sensu: si iuxta legem dixerint, audiendos, sed categoricè, absolutè videlicet audiendos, vtpote in causis dubiis Religionis, non nisi iuxta legem sententiam prolaturos. Tum quia alioquin authoritas hæc iudiciaria frustra à Deo constituta fuisset, si partes ipsæ primùm examinare debuissent latam à iudicibus sententiam, an scripturæ conformis esset; & potuisset hoc ipsum quisque non consulto iudice domi commodiùs facere, adhibita præsertim consultatione aliorum prudentum virorum. Tum propter absolutam illam ac expressam Dei promissionem asserentis, sacerdotes *indicaturos esse indicij veritatem*, vt patet ex citato loco Deuteronomij 17. Altera verò, quia etsi ad scripturæ normam & sacerdotum sententiæ & actiones priuatorum semper conformandæ fuerint, non ideo tamen scriptura erat vnica norma. Id quod supra capite sexto euidenter demonstratum est: vt meræ sint nugæ, quas ex particulis *ad legem, iuxta legem, secundum legem*, &c. vel argumentationes vel contradictiones ad labyrinthum suum conficiendum exstruit Hunnius, vt ibidem notauimus. *Apol. pag. 69. & 80.*

Sed & directè contra conclusionem in hunc sensum argumentatur Hunnius. Non est credibile, eum qui errore personali errat, *potius definiturum esse iuxta doctrinam, quam putat esse falsam, quàm iuxta erroneam illam quam putat esse veram, præsertim si definiat solus*: ergo si Pontifex priuatim errare potest, etiam definiendo poterit. Respondetur, & antecedens, & consequentiam multis modis falsam esse. Illud quidem; quia etsi per se loquendo, & abstrahendo à diuinæ prouidentiæ gubernatione, vero similius sit, errantem potius iuxta suum errorem, quàm iuxta opinionem, quam falsam esse putat, definiturum; attamen considerata, vt par est, diuinæ prouidentiæ dispositione, qua Deus Pontificem in causis dubiis Religionis, suæ voluntatis interpretem esse voluit, & simul etiam præcepit, sententiæ summi sacerdotis in dubio Religionis latæ simpliciter obtemperare, vt superius ostensum est, non est vllo modo credibile, posito quod Pontifex errans, in aliqua publica Religionis controuersia aliquid definiat, eum potius iuxta erroneam illam opinionem pronunciaturum esse sententiam, quàm siue retento, siue (quod credibilius est) deposito suo errore, iuxta veram doctrinæ regulam. Hîc nimirum locum habet pronunciatum illud Hunnij: *rationem*, quæ scilicet diuinæ prouidentiæ dispositioni se opponit, *esse cæcam*. Consequentia autem falsa est; quia supponitur eum, qui errorem priuatum fouet, aliquid in ea ipsa controuersia, circa quam errat, pronunciare; quod non est necesse vt fiat, siue quod Ecclesiæ nihil intersit, circa eam rem quippiam definiri, siue quia Deus prouidebit, vt vel hic ipse errore deposito, vel hoc defuncto, alius quidam rectiùs sentiens, quod verum & bonum est definiat: vt quidem *Apol. pag. 77.*

huius ipsius rei exempla quædam à Doctoribus notata sunt. Eadem est ratio, si forte omnes illi, quos Pontifex aliquid definiturus in consiliū adhibet, in errore priuato, circa rem definiendam versentur: quanquam argumentatio illa Hunnij sit pessima, dum à sensu copulatiuo progreditur ad copulatum, à singulis ad vniuersos. Sic enim aliquis facile probauerit, Hunnium non tantum singula, sed vniuersa pocula vini, quæ sunt Wittebergæ, simul exhaurire posse; quod etsi ipse fortasse facere attentaret, nunquam tamen meo iudicio concederet.

*Apol. pag. 77.*

Tertiò obiicit Hunnius. Si Pontifex priuatim errare, & fortè etiam parum doctus esse potest, & tamen ei *necessaria scientia* (ne in definiendo erret) *nunquam deest*, vt ex Catholica sententia dixerat D. Gretserus, consequens erit, Pontificem *duplici mente* præditum esse, *quarum vna sciat omnia: altera parum sciat.* Sed respondetur, hanc consequentiam futilem & ridiculam esse, eius planè, vt apparet, hominis, qui vix vna mente præditus sit. Nam vt Pontifex in definiendo nō erret, nequaquā opus est, vt omnia, vel etiam vt multum sciat: tum quia non multa (nedum omnia) in communibus fidei aut Religionis controuersiis definiri solent à Pontificibus; neque verò communiter opus est, vt multa definiant; tum quia ne Pontifex in definiendo erret (quidquid ipse alioqui sciat, aut non sciat) DEVS alio modo impedire potest; siue eum ex hac mortali vita auocando, seu alias impediendo ne definiat. Itaque etiam supposito casu (qui tamen rarò accidit) quod quis parum alioqui doctus, ad Pontificatum assumptus sit, planè stultum est, quod Hunnius ineptè sibi imaginatur, eum ex nostra sententia aut doctrina, si quando ad definiendum accedit, nescio qua subita inspiratione illustratum, derepente scire omnia, & mox iterum definita controuersia ad pristinum ignorantiæ statum redire. Somnia sunt hæc. Doctrina enim Catholicorum ista est: Pontificem si in priuato quodam Religionis errore versetur, aut alioquin parum doctus sit (DEO sic Ecclesiam iuxta suas promissiones saluam custodiente) aut non definiturum, aut saltem ita diuinitùs directum iri, vt quoad definiendum thema (pauca autem vt supra diximus, definienda occurrunt) siue humanis quibusdam mediis, qualia quidem semper adhibere debet, siue à DEO immediatè veritatem edoctus, probè definiat. Neque in hoc cernitur peculiare aliquod DEI miraculum, sed est potius ordinaria diuinæ prouidentiæ dispositio. Atque hic etiam colligitur, fieri quidem non posse, vt cæcus, quà cæcus est, alteri securum ducatum præstet, vt apud Lucam capite sexto dixit CHRISTVS; attamen nihil obstare, quominus qui priuatim quoad reliqua cæcus est, in re aliqua particulari à DEO illustratus cæteros doceat, vt euidenter patet exemplo Pharisæorum, quos etsi priuatim

*Vid. Cyprian. epist. 69. ad Pupianum. Apolog. pag. 120. & 136.*

uatim

uatim cæcos, publicè tamen in cathedra sedentes audiendos docuit Christus Matthæi 23. Vt meræ sint nugæ, quidquid in contrarium pueriliter obiectauit Hunnius. *Apol. pag. 11.*

Quartò obiicit. Pharisæi dum in Synagogis legem interpretabantur, errarunt, Matthæi 5. Ergò etiam errârunt in publica doctrina. Respondetur, & antecedens minus probabile esse, & consequentiam nullam, si quidem vt res hic exigit, per publicam doctrinam intelligatur ea, quæ publica & suprema authoritate iudiciaria in aliqua Religionis causa, per modum definitionis Ecclesiam totam obligantis proponitur. Quod si in conclusione aliud non velit Hunnius, quàm scribas & Pharisæos palam & in publico loco docendo errâsse, tunc vera quidem est conclusio, sed extra oleas; vtpote nunquam à nobis ne per somnium quidem negata. Antecedens autem dixi minus probabile esse, quia tametsi quidam etiam Catholici existiment, CHRISTVM Matthæi quinto, cum toties repetit illud: *Ego autem dico vobis, &c.* notare & corrigere peruersam doctrinam scribarum & Pharisæorum; attamen omnes propemodum Sancti Patres, putant illic perfici doctrinam Moysis, atque adeo CHRISTVM, se non scribis & Pharisæis, sed Moysi opponere. Ita explicant hunc locum Irenæus, Tertullianus, Clemens, Alexandrinus, Hilarius, Epiphanius, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, &c: quibus malo credere, quam aliis absque tali autoritate aliter sentientibus. Interim, vt antea iam dixi, & contra Hunnij calumnias sæpius repetendum est, non negamus, etiam scribarum & Pharisæorum doctrinam, publico loco proponi consuetam, reprehensam esse. Scimus hoc ex Matth. 16. item ex Matth. 15. Vbi Christus traditionem illam scribarum & Pharisæorum de lotione manuum non necessario seruandam decernit: quæ tamen ipsa traditio merè humana erat, & à scribis ac Pharisæis, priuata tantum, non publica & iudiciaria authoritate, tãquam à summis Synagogæ iudicibus erat proposita.

Sed quærit Hunnius vnde hoc sciam: respondetur me hoc ex eo ipso scire, vnde scio talem traditionem fuisse. CHRISTVS enim eodem loco, vbi hanc traditionem notat, simul etiam eam censet inter *mandata & doctrinas hominum*; atque adeo hoc ipso mera tantum humana superstitione, nulla publica authoritate à iudicibus Ecclesiastici fori, introductam indicat. Scio id quoque ex eo, quod CHRISTVS eam traditionem non necessario obseruandam esse significat: cum tamen ea, quæ publica authoritate à scribis & Pharisæis, tanquam supremis iudicibus decreta fuissent, in quantum scilicet iam tum præsentis summi Pontificis CHRISTI doctrinæ non repugnabant, obseruanda præceperit Matth. 23 *Apol. pa. 321.*

Sed

Sed probat Hunnius, hæc publica authoritate fuisse definita. *Quia*
Apol. pa. 321. *constituere traditiones*, inquit, *est definire*. Sed ludit miser in ambiguo. Nam si velit, quomodocunque traditionem aliquam constituere, esse publica & suprema authoritate iudiciaria definire, tum falsa est propositio, quod vel exemplo Hunnij patet, qui tanquam priuatus scilicet Doctor tradidit in suis libris de Sacramentis, semel validè, sed occulte baptizatum, denuo rebaptizari posse, vt alibi retulimus: quod tamen ab eo ne sui quidem tanquam publica & iudiciaria potestate definitum accipiant. Si autem de quacunq; definitione loquitur, quomodo scilicet generatim dici potest definire, qui etiam priuatim quippiam pronunciat vel statuit, tunc extra chorum saltat. Neq; enim de quacunq; definitione in proposito quæstio nobis est, sed de publica, vt supra diximus. Et mirum est, Hunnium toties verbis inanibus fallaciter ludendo, terminos mutando, statum quæstionis dissimulando vel peruertendo, oleum & operam perdere.

Apol. Præfat. cap. 10.

Apol. pa. 125. Quintò obiicit Hunnius illud Matthæi 9. *Videns autem turbas misertus est eis: quia erant vexati & iacentes, sicut oues non habentes pastorem. Quæ saluatoris*, inquit Hunnius, *grauissima querela nunquam in æternum subsisteret, si Pharisæi & scribæ, vt & sacerdotes, docendo publicè coram populo non errassent*. Sed respondeo Hunnium rursus probare, quod in quæstione non est, Pharisæos videlicet & scribas, publicè docendo errasse, quod tamen nemo negat, vt paulo supra explicatum est. Addo etiam consequentiam huius loci esse nullam, quandoquidem non misertus eis dicitur Christus, quia malos Pastores habebant, sed quia Pastores non habebant. Sed quales? Christianos videlicet, qui *Euangelium regni* prædicarent; vt ex sequentibus colligitur, quando mox Christus ipsemet Euangelium prædicasse, & operariorum paucitatem deplorasse, & Apostolos ad Euangelizandum misisse legitur. Plura quæ restant huius loci capite sequenti expediemus.

Matth. 9. & 10.

## CAPVT XII.

### DE EORVNDEM SACERDOTVM VETERIS TEstamenti moribus ac erroribus.

Apol. pa. 127.



Ontra doctrinam Catholicam superiore capite explicatam & defensam, illud inter cætera magno verborum apparatu obiicit Hunnius, *certum esse & exploratum, quod sacerdotes Israelitici pleriq; & vt plurimum fuerint Idololatræ*: id quod etiam ex historia Iudicum & Regum, atque etiam ex Propheta Isaia & Hieremia fusè probare conatur. Sed respondetur primò, Hunnium hoc loco circulatorem potius ac ineptum declamatorem, quā Theo-

Theologicum Disputatorem agere, dum id adeò operosè probat, quod in controuersia non est. Nam quis vnquam negauit sacerdotes in Idololatriæ peccatum incidisse, aut saltem incidere potuisse? Fuerint sanè sacerdotes multi Idololatræ, at non fuerunt tamen omnes, non semper, non summi; & quod caput est, multò minimè idcirco errarunt vnquam in definiendo. Etenim meræ sunt nugæ, quas passim inculcat Hunnius. Si cæteri errauerunt, cur non & summus sacerdos, & cur non in definiendo? & si in definiendo non potuit errare, cur hoc non sciuerint alii sacerdotes? & populus? & si sciuerunt, cur non eius definitioni adhæserint? cur Hieremias, aut cæteri Prophetæ sacerdotis summi authoritatem in suis ad regem & populum concionibus non allegauerint? Scilicet Hæretici cum eis deuiare libet, multum curant ordinariæ potestatis authoritatem. Scilicet vt in cæteris, sic imprimis in contemnenda authoritate sui legitimi magistratus, extremè contumaces & impudenter procaces non sunt. Scilicet multum promoueat, qui Hæreticis opponat decreta Pontificum, eisq; proponat authoritatem infallibilem summi Pontificis. Putida sunt hæc, & meræ offutiæ. Indignæ, quæ vel memorentur. *Apol. pa. 129. 132. 246.*

Interim tamen ne quidquam à nobis prætermissum dicat Hunnius, excutiamus singula exempla ac testimonia scripturæ, quibus nostram doctrinam oppugnat. Tempore Iudicum, etsi Hunnius impudenter sine vllo scripturæ testimonio, vt infra patebit, omnes quasi Idololatriæ tunc perpetratæ culpam in sacerdotes contulerit; nec ipse tamen affirmare ausus est, sacerdotes in definiendo errâsse, nedum vt aliquod huius rei exemplum ex scriptura proferre potuerit. Similiter etiam ex historia Regum sollummodo colligit Hunnius, sacerdotes in cultu publico errasse, quod tamen nemo negat, etsi nos negare mentiatur, vt supra dictum. *Apol. pa. 128.* *Apol. pa. 229.*

Ex Propheta Isaia capite 56. rursus producit locum illum *speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi.* Ad quem locum in Colloquio responsum est Sessione secunda. Primò, *locum illum non pertinere ad scientiã, quæ requiritur in iudice, vt definiat. Hanc enim scientiã nunquã deesse, quamuis quoad priuatam suam personam parum scientiæ habeat.* Quod responsum nunquam hactenus refutare potuit Hunnius; quidquid de duplici mente, sine mente deliret, de quo capite præcedenti. Secundò responsum est, *locum istum admittere exceptionem*, atque adeò *licet generaliter sonet, generaliter non esse accipiendum, sed cum exceptione.*

Quam responsionem contra Hunnianas nugas defendi alibi. Illud modo addo, Hunnium verba illa Isaiæ prorsus ineptè ad tempora & historiam Regum referre. Quasi statum sui temporis descripserit Propheta, cum et S. Hieronymus, & Glossa tam ordinaria, quàm interlinearis, & Lyranus, & omnes, quotquot legi interpretes, eum locum tanquam Pro- *Apol. Præfat. Apol. Hunn. pa. 130.*

phetiam interpretentur, atq; ad sacerdotes, scribas & Pharisæos Christi nescientes, eumque morti adiudicantes referant; præterquam quod hanc ipsam explicationem totus verborum contextus indicat.

Qua ratione verò hic ipse sacerdotum error infallibili authoritati summi Pontificis, sua adhuc potestate integrè pollentis nihil deroget, satis in Colloquio declaratum est. Et summa est, Mosaicum Pontificem non fuisse eo tempore *absolutè summum* in terris iudicem, sed Christum; quocirca nihil mirum esse, si summus Pontifex tunc in definiendo potuerit errare. Quanquam etiam tunc doctrina definitiua & publica sedentium in cathedra Moysis, in quantum ei CHRISTVS nihil derogauit, certa erat atque infallibilis, iuxta illud CHRISTI Matthæi 23. *Omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite*, vt à me iam alibi fusius declaratum est.

*Exam. Hun. Relat. cap. 21.*

Secundo obiicit Hunnius illud Isaiæ 28. *Verùm hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt, sacerdos & Propheta nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt à vino, errauerũt in ebrietate, errauerũt in visione* (nos in editione vulgata cum S. Hieronymo conuenienter textui Hebraico legimus, *Nescierunt videntem*) *ignorauerunt iudicium*. Respondetur, huius loci variam esse expositionem. Sunt qui Prophetice accipiant de sacerdotibus & Pseudoprophetis, qui populum Christi à fide adduxerunt, iuxta ea, quæ circa præcedentem locum dicta sunt: quo sensu locus hic nobis nihil penitus aduersatur. Atque ita præter alios interpretatur hunc locum S. Hieronymus: Ita etiam non malè præcedentia verba illa, de cõuersis ex Iudaismo ad Christi fidem, intelligit Glossa ordinaria ex S. Hieronymo. *In die illa erit Dominus exercituum, corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui: & spiritus iudicij sedenti super iudicium & fortitudo reuertentibus de bello ad portam.*

*Sequit. Ema. Sa. in suis notis in scriptur.*

Quidam verba illa historicè quidem accipiunt, sed ad decem tribus & regnum Samariæ, cuius initio capitis fit mentio, atque adeo ad Pseudoprophetas, & Pseudosacerdotes Idololatricos pertinere existimant: quorum sententia valde probabilis est, sed nihil aduersariis patrocinatur, quandoquidem nobis de Pseudosacerdotibus illis Samariæ nulla quæstio est. Alii historicè accipiunt, & simul ad duas tribus referunt. Sed nec iuxta horum sententiam plus colligi potest, quàm ex sacerdotibus & Prophetis quosdam (de omnibus enim nulla fit mentio) intemperantia excæcatos priuatim errasse, ac velut ebrios in rebus diuinis parum scientiæ ac iudicii habuisse. Interim de sacerdote hîc summo nihil dicitur. Neq; de errore in definiendo quidquam. Nec obstant illa verba Hunnij. *Errauerunt in visione.* Primò enim aliter habet vulgata versio latina, vt supra dixi. Secundo si hæc verba maximè authentica essent, ad Pseu-

ad Pseudoprophetas tantum, non ad sacerdotes referenda essent. *Visio* enim non sacerdotibus, sed Prophetis attribuitur, qui etiam idcircò in scriptura *Videntes* dicuntur. Tot ergo modis futile ac friuolum est argumentum Hunnij ex hoc loco depromptum.

Ex Propheta Hieremia obiicitur primò locus ille capite secundo. *Sacerdotes non dixerunt vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me, & Prophetæ Prophetauerunt in Baal, & Idola secuti sunt.* Respondetur etiam hic mentionem nullam esse de omnibus sacerdotibus, nec in specie de summo sacerdote, multò minus de errore aliquo in definiendo ab eo commisso; sed generatim sacerdotum negligentiã in doctrina, & peruersitatem in moribus ac Religionis institutis consectandis perstringi. Eiusdem generis sunt etiam illa loca quæ ex Hieremia ca. 2. versu 26. & 27. & capite quinto versu 31. & capite 8. profert Hunnius. Summum enim, quod ex his locis colligi potest, hoc est, sacerdotes quosdam, reipsa ac de facto, tum in cætera peccata, tum in Idololatriæ scelus prolapsos esse.

*Quid verò*, inquit Hunnius, *si notanter & in indiuiduo monstremus, summum Pontificem erroris & mendacij à Propheta Hieremia notatum & cõdemnatum?* Quid? nisi quod Hunnius etiam hoc loco versipellem tergiuersatorem agat? An hoc probandum est Hunni? sacerdotem etiam summum quomodolibet errare posse? mentiri posse? Nihil minùs: sed hoc probes necesse est: posse eos in aliqua publica Religionis controuersia, etiam cum summa potestate iudiciaria definienda errare. Quod quidem minimè probant illa verba Hieremiæ capite 20. à te producta. *Tu autem Phassur* (Princeps sacerdotum, præter ordinem forte potius, intrusus, quàm legitimè constitutus: certè primo Paralipom. sexto, inter summos Pontifices non numeratus) *& omnes habitatores domus tuæ ibitis in captiuitatem, & in Babylonem venies, & ibi morieris, ibique sepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetâsti mendacium.* Nihil enim hic de publica definitione agitur, nihil de publica Religionis controuersia; sed solùm de quæstione aliqua facti, sitne vrbs Hierusalem à Chaldeis capienda, populusque Hierosolymitanus in captiuitatem abducendus, vt ex initio capitis manifestum est. In hac sanè quæstione, negatiuam partem contra Hieremiam asserendo, errauit Phassur, non definiens vt sacerdos, non obligans populum ad suam sententiam accipiendam, sed priuato furore iudicium præcipitans. Tantum abest, vt in publica Religionis controuersia, communem fidem aut mores concernente, quidquam falsò definiuerit. Sed pergit Hunnius. *Apol. pa. 133.*

*Quid, quod capite 26. sacerdotes (velut ex cathedra definiendo)* inquit, *Prophetam Hieremiam damnant hæreseos, & erroris, & sententiam mortis*

*Deuteronomij 13. in blasphemos Pseudoprophetas constitutam aduersus ipsum pronunciant? Verba sunt. Cumque complesset Hieremias, loquens omnia quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuersum populũ, apprehenderunt eum sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus dicens: Morte moriatur:* Sed respondetur primò, nihil hîc publica authoritate & sententia fuisse definitum à sacerdotibus, non solùm quod sacerdotes, Prophetæ, & populus, potius per modum præiudicii, quàm absolutæ sententiæ, in ea re animi sui sensa exprompserunt; sed etiam quod illi potestatem iudicii in hac causa non haberent, vt rectè notauit S. Hieronymus, & ex eo Glossa ordinaria in hunc locum. Vtrumque colligitur ex iis, quæ deinceps eodem loco narrantur. Refertur enim, postea Principes sedisse iudices, sacerdotes verò & Pseudoprophetas fuisse accusatores Hieremiæ, non iudices: tandem verò etiam Hieremiam sententia principum à mortis iudicio absolutum, vt etiam explicauit S. Hieronymus, Glossa ordinaria, Lyranus, &c. Itaque hoc exemplo calumniæ quidem conuincuntur sacerdotes, non autem falsæ definitionis publicæ. Vt interim taceam, quæstionem ab iis hoc loco agitatam, non tam fidei fuisse, quàm facti, annon videlicet Hieremias potius priuato quodam animi tumore inflatus, quàm diuino spiritu agitatus, ediceret ea, quæ mala de Hierusalem prædicebat.

In vltimo testimonio ex Hieremia producto, generatim solum asseritur, Reges, Principes, & sacerdotes Deum irritauisse: & demum additur, *Idola sua posuisse in domo Domini.* Ex quo tamen nequaquam idcirco consequens est, sacerdotes errasse in definiendo. Aliud enim est Idolum aut Idololatricum altare erigere; aliud publica authoritate definire, cultum aliquem Idololatricum bonum esse: Vt etiam in Colloquio dictum est, & magis patebit capite sequente. Et mirè insulsum est, quòd & in Colloquio, & iam etiam in suo Apologetico hoc argumento euincere

*Apol. pa. 127.* nititur. Vriam erigentem nouum altare contra legem in templo Domini, debuisse definiendo approbare eiusmodi cultum, *quia non potuit non contingere*, inquit, *vt populus rei nouitate motus rationem ab ipso flagitaret mutati cultus*: quasi verò non potuerit vno verbo respondere, hoc sibi ex mandato Regis nulla sua voluntate necessario faciendum fuisse; qua quidem ratione non solùm factum non approbaret, sed etiam improbaret. Sed de Vria, Aarone, Caipha, alibi fusius actum est.

*Exam. Hun. Relat. Apolo. Præfat.*

Accedit, quod procul dubio respexit Hieremias in illa Prophetia ad Idola quæ sub Manasse Rege in templo Domini fuerunt; quod tamen non nisi Regis vitio tribuitur 4. Reg. 21. *Exstruxitq; aras in domo Domini, de qua dixit Dominus, in Hierusalem ponã nomen meũ. Et exstruxit altaria vniuersæ militiæ cæli, in duobus atrijs templi Domini.* Et est alioqui vsitata in scriptura phrasis, quidpiam pluribus indefinitè tribui, quod tamen pluribus

tibus nō conueniat. Sic enim Matth. 26. Discipuli dicuntur indignati ob effusionem vnguenti, cum tamen hoc à Iuda solummodo factū sit, vt colligitur ex S. Ioannis ca. 12. Item Matth. 27. & Marci 15. Latrones dicuntur improperasse Christo, &c. cum id tamen vnus tantum eorum fecerit, vt patet ex Lucæ 23. capite. Atq; hactenus satis primum illud responsum ad obiecta Hunnij exempla & testimonia explicatum & defensum est.

Deinde verò respondeo, falsissimum esse, quod Hunnius dicebat, *sacerdotes Israeliticos plerosque, & vt plurimum Idololatras fuisse*; tametsi de moribus solùm priuatis, nihil de publica definitione loquamur. Nam si historiam Iudicum & Regum euoluamus, longè pauciores Idololatras, quàm bonos sacerdotes inueniemus. Et primò quidem q; attinet ad tempora Iudicum, licet quidē tunc popul⁹ frequenter ad Idololatriam declinarit; nusquam tamen id sacerdotum præcipuè vitio accidisse dicitur: quin potius ex illa ipsa Idololatria, quam in deserto iam ante commiserant Patres eorum, coniicere possumus; non magis sacerdotibus eiusmodi Idololatriam fuisse imputandam, quàm Aaroni, quem, vtcunque alioquin per conniuentiam peccauerit, Idololatram tamen factum non esse, nec etiā authorem Idololatriæ fuisse, alibi luculenter probauimus. Et sanè non solum falso, sed etiam ineptè Hunnius, cur tabernaculum Silo fuerit reprobatum à Deo, eam adfert causam, quod sacerdotes & populus fecerant *domum Domini speluncam Latronum*, dicente Hieremia cap. 7. *Nunquid ergo spelunca Latronum facta est domus, in qua nomen meum inuocatū est in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meū in Silo, vbi habitauit nomen meū à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.* Certissimum enim est, per domum Domini eo loco intelligi non tabernaculum, sed templum Domini iuxta illud 2 Regum. 7. *Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti, vsq; in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo & in tentorio.* Multò minus dicitur, sacerdotes ex tabernaculo fecisse speluncam Latronum.

*Exod. 32.*

*Exam. Hun. Relat. cap. 11.*

Et sanè cum ab egressu populi ex Ægypto, vsque ad templi exstructionem in scripturis vndecim summi sacerdotes numerentur, nullus tamen ex illis de idololatria perpetrata culpatur in scriptura: sed potius eorum non pauci præclarum Religionis testimonium habent. Sunt autem isti: Aaron, Eleazar, Phinees, qui etiam tempore Iudicum multo tempore vixit, Abisue, Boui, Ozi, Heli, Achitob, sub quo Samuel, Abimelech, quem Saul occidit, Achitob, siue Abiathar, Sadoc. Neque etiam credibile est, cum Deus omni propemodum tempore eximios quosdam iudices, velut saluatores populi excitârit, publicum Religionis cultum, in Silo

ſub eis neglectum iacuiſſe. Cuius rei etiam hoc argumento eſſe poteſt. Cũ enim publicus cultus, quantum ex ſcripturis colligi poteſt, iudicum tẽpore in Silo peius nunquam adminiſtratus ſit, quàm tempore Heli, improbitate filiorum eius, ob quam etiam arca Domini capta eſt, quo etiam tempore maximè querela illa, quod *non eſſet Rex in Iſrael*, frequens in ſcripturis eſt: neque tamen vel ab impiiſſimis filiis Heli, alteri, quàm vero Deo, cultus ille qualiſcunq; exhibitus fuerit; ſanè credere neceſſe eſt, cultum Dei veri ſemper in Silo perſtitiſſe.

*Rup. lib. 4. de Vict. Ver. Dei cap. 1.* Et verò quoad publicum Religionis ſtatum infeliciſſima fuiſſe tempora Heli, prolixè ſcribit Rupertus Tuitienſis vir in ſcripturis doctiſſimus. Cum enim capite ſeptimo oſtendiſſet, duodecim iudices Iſraeli tanquam ſaluatores datos, *per maturitatem fidei ſua populum iuueniliter laſciuientem coercuiſſe*, & fornicationes eiuſdem populi, quibus cum mulieribus alienigenis, & cum Diis earum fornicabatur, *prout potuerunt, iudiciali manu abſterſiſſe*, tandem capite decimo, explicans cauſam cur Heli ad numerum duodecim iudicum non pertineat, ita ſcribit. *Adhac, inquam, non idcirco, vt tantum duodecim iudices numeremus, iam dictum Heli de numero tollimus, ſed idcirco, quia ille de numero tollitur, idcirco tantum duodecim iudices habemus; quorum geſtis liber ipſe contextus eſt, qui Iudicum nuncupatur: quorum & nomina ſuperius digeſſimus. Quomodo ille, vel ob quã cauſam de numero tollitur? nimirum propter contemptum verbi Domini. Quia in diebus eius calce abijcere legem Domini; nimia ferè omnibus licentia fuit. Notandum quippe, quod mortuo Samſon, qui iudicauit Iſrael viginti annis, dignum non exiſtimauit, ſcriptura ſacra authoritas, vt diceret; poſt hunc fuit, vel huic ſucceſſit Heli, licet iudicauerit Iſrael, vt iam dictum eſt, quadraginta annis. Sed inter infelices dierum illorum hiſtorias, iſta querela frequens eſt: In diebus illis non erat lex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quid niſi vecordiam,* (non Idololatriam) *ſacerdotis accuſat, & iudicis eiuſmodi hoc dicendo. Idem namq; eſt, ac ſi dicat; Qui in diebus iſtis iudicabat Iſrael, & ſi ſecundum nomen perſonamque aliquis erat, ſecundum rem meritumq; nullus erat, &c.*

Et ſanè qui ſcripturas leget, intelliget, hæc de Heli non abs re à Ruperto adnotata, vtpote cum non ſolùm grauiſſima reprehenſione, *1. Regum. 3.* priuatim ipſe obiurgatus, ſed etiam ingenti pœna tam ipſe, quàm filii & domus eius, atque vniuerſim totus populus Iſraeliticus, à Deo vno quaſi momento temporis perculſus ſit. Sic enim habet ſcriptura: *Et dixit Dominus ad Samuelem; Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum eius: Incipiam & complebo. Prædixi enim ei,* quod

*quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quòd nouerat agere indignè filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco iuraui domui Heli, quod non expietur domus eius iniquitas victimis & muneribus, vsque in æternum*, Quænam autem sint illa, quæ minatus fuerat Dominus Heli, præcedenti capite grauissimis verbis descripta sunt. Vbi DEVS inter alia sic per Prophetam loquitur: *Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo; & magis honorâstis filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israel populi mei? Propterea ait Dominus* DEVS *Israel, loquens loquutus sum, vt domus tua & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsq; in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me, sed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnet me, erit ignobilis. Ecce dies venient, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua, &c.* Et sanè horrendum est legere quantus cumulus pœnarum tam publicarum, quàm priuatarum vno quasi temporis momento in Heli, eiusque domum, & totum populum Israel irruerit. *1.Reg.4* Israel à Philistæis magna clade cæsus & fugatus est, arca capta, duo filii Heli simul interempti, Heli repentè extinctus, Nurus eius abortiens mortua. Cum ergo Heli postremus iudicum tempore sacerdos pessimè rem administrârit, vt ex Dei vindicta colligimus, & nec ipse aut eius filii idololatræ fuerint, cur Hunnius adeo confidenter asserere audet, plerosque sacerdotes veteris testamenti Idololatras fuisse?

Quod attinet ad tempus Regum, etiam sub his paucos fuisse Idololatras ex hoc facile colligitur. Sub Saule, Dauide, Salomone, licet tandem in fine priuatim ad Idololatriam declinante, nullos sacerdotes Israeliticos Idololatras fuisse legimus: & constat, cultum veri Dei in templo Hierosolymitano, sub Dauide & Salomone inuiolatum constitisse. Iam in regno Iudæ facta duorum regnorum diuisione, Roboam, Abiam, Asa, Iosaphat, omnes veri Dei cultores fuerunt. Ioram, Ochozias, Athalia priuatim quidem Idololatræ erant, sed tamen verum Dei cultum publicè non insectabantur: quocirca nec sub istis sacerdotes Iudaicos de Idololatria reprehensos legimus. Ioas, licet impietatem permitteret, ipse tamen in veri Dei religione perstitit; neq; sub ipso sacerdotes Idololatriæ reos agi legimus. Neque sub Amazia, Azaria, Ioathan, publicè Idololatria in templum Hierosolymitanũ irrepsit. Primus nimirum Achaz, è duodecim regibus in regno Iuda (in regno n. Israël nulla quærenda est sacerdotum successio) religionem palam eiurauit, & in Synagogas hæresim, falsorumque Deorum cultum intulit; primus etiam Vrias ex Pontificibus legitur se ad impii Regis voluntatem quoad Idololatriam *2.Paralip.24.* *4.Reg.16.*

latriam in templo erigendam conformâsse. Vnde etiam ad huius tempora Isaiæ obiurgationes præcipuè pertinent; quanquam & Vrias ob dignitatem officii ab Isaia cap. 8. vocatur *testis fidelis*. Ex sequentibus autem Regibus, Ezechias & Iosias, qui regnum tenuerunt annis sexaginta, cultui veri Dei addictissimi fuerunt, quocirca sub eis vera religio floruit vt cum maximè. Reliqui Reges sex ad quorum tempora querelæ illæ Hieremiæ (vt & Isaiæ præcipuè ad tempora Achaz) pertinent, qui vsque ad captiuitatem annis non amplius octoginta regnârunt, impii quidem & Idololatræ ex magna parte fuerunt, sed tamen nec sub illis quidem omnes sacerdotes impii fuerunt. Cum etiam Manasses tandem ad veri Dei cultum redierit, & verò vt de aliis taceam & Helcias Pontifex optimus sub impiis regibus aliquandiu vixerit. Hinc ergo satis patet, falso Hunnium dixisse, *plerosq; sacerdotes Israeliticos & vt plurimum Idololatras fuisse.* Fuisse aliquos malos non negamus; sed & hoc sacerdotii authoritati, eiusque iudiciariæ

Matth. 23. potestati nihil derogat; iuxta illud: *Super cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite; secundum opera verò eorum nolite facere.* Et contra ab initio constituti Israëlitici sacerdotii fuerunt boni plurimi. Moyses cap. 33. generatim hoc Leuiticæ tribui encomium tribuit. *Leui quoque ait; Perfectio tua & doctrina tua viro sancto tuo, quem probâsti in tentatione; iudicasti ad aquas contradictionis. Qui dixit*

Cap 45. *patri suo & matri suæ, nescio vos: & fratribus suis ignora illos; & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum & pactum tuum seruauerunt. Iudicia tua ô Iacob, & legem tuam, ô Israel, &c.* Et in fine concludens; *Qui oderunt eum*, inquit, *non consurgent*; Et de Aarone, quàm magnificè Ecclesiasticus. *Excelsum fecit Aaron fratrem eius, & similem sibi* (Moysi) *de tribu Leui, statuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium gentis.* Et infra de eius nepote, *Phinees*, inquit, *filius Eleazari, tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini; & stans in reuerentia gentis; in bonitate, & cla-*

Num. 25. *ritate animæ suæ placuit Deo Israel. Ideo statuit illi testamentum pacis, Principem seculorum & gentis suæ, vt sit illi, & semini eius sacerdotij dignitas in æternum, &c.*

Ad Sadoc pertinet illud Dei 1. Regum 2. *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet; & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.*

Ad tribum Leuiticam, & præcipuè sacerdotes, generatim, spectat illud Malachiæ secundo *Pactum meum fuit cum illo* (Leui) *vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exerci-*

tuum

*tuum est.* Hæc Propheta de prioribus sacerdotibus magnificè dicta, sui temporis sacerdotibus, qui à sanctitate morum, & legum custodia recesserant, maloque exemplo plurimos offenderant, exprobrat: ita tamen vt nec eorum doctrinam publicam reprehendat. Vnum est autem, quod Prædicantes asserunt, sacerdotes fuisse tantum audiendos, si aliquid expresse in lege contentum dicerent. Pulchrè S. Bernardus simul & locum Malachiæ tractans, & hanc rem explicans; *Quamobrem*, inquit, *quidquid iure Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo; haud secus omnino accipiendum est, quàm si præciperet Deus. Quid enim interest, vtrum per se, an per suos ministros, siue homines, siue angelos hominibus innotescat suum placitum Deus? sed homines, inquis, facilè falli, in Dei voluntate de rebus dubiis præcipienda, & in præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua qui conscius non es; præsertim cum teneas de scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem ex eo requirunt, quia angelus Domini exercituum est? Requirunt dixerim legem*: NON QVAM VEL AVTHENTICA VLLA SCRIPTVRA TRADIDERIT, *vel ratio manifesta probauerit. De huiusmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibetor auscultandus est: Sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, vt in* DVBIVM *venire possit, vtrum nam Deus sic aut aliter fortè velit, si non de labiis custodientium scientiam, & ex ore angeli Domini exercituum certum reddatur.* Et infra, Samuelem Prophetam, his non aduersari declarans, ait: *Siquidem quod nos asserimus de dubiis, hoc ille negat de manifestis.* Vbi Hunnius simul habet explicationem loci Malachiæ, & assertionem Catholicæ sententiæ, de stando in dubiis superiorum decretis, de qua re alibi. Atque hæc de sacerdotibus, scribis, & Pharisæis hactenus.

*Apol. pag 69 & 70. &c.*

*Bernard. libr de lege & dispensat.*

*Exam. Hun Relat. & sup cap. 3.*

## CAPVT XIII.

## *DE ROMANO PONTIFICE.*



MVlta ex iis, quæ de Pontificibus summis veteris testamenti dicta sunt, huc etiam pertinent. Summa autem totius doctrinæ nostræ, quam hac de re in Colloquio defendendam suscepimus, hæc est.

Primo nunquam negauimus, Pontificem Romanum, vt personam aliquam priuatam, peccare, errare, & ignorantiâ & malitiâ posse; quin etiam priuata sententia falsi quippiam, etiam in aliqua Religionis materia, affirmare, imò verò, vt priuatum aliquem Doctorem, etiam libris editis, falsi quippiam docere posse.

Secundo diximus, eum, qualiscunque tandem quoad propriam personam sit, etiamsi fortè in hæresim incidat (quod quidem an fieri

possit, Theologi etiamnum inter se salua fide & charitate disputant, & à nobis in Colloquio nec affirmatum est, nec negatum ) nunquam tamen quandiu Pontifex manet, errare posse, dum quidpiam in publica aliqua Religionis controuersia, seu fidem, seu mores cócernente, tanquam Pontifex publica authoritate, siue cum Concilio, siue absq; Concilio definit.

Vbi notandum, esse alioqui Doctores aliquos Catholicos, qui existiment, Pontificem *etiam vt Pontificem posse esse Hæreticum, & docere Heresin, si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem*, vt ait Bellarminus, *sequitur & tuebatur Nilus in suo libro aduersus primatum Papæ: Eandem secuti sunt aliquot Parisienses, vt Gerson, & Almain in libris de potestate Ecclesiæ, nec non Alphonsus de Castro, libro vndecimo cap. secundo contra hereses, & Adrianus VI. Papa in quæstione de Confirmatione; qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesia, siue in Concilio generali tantum constituunt infallibilitatem iudicij de rebus fidei.* At verò licet hæc sententia apertè Hæretica non sit, nobis tamen in Colloquio, vt etiam antea semper visum est verissimum, quod cæteri Doctores communiter defendunt, Pontificem, ne si solus quidem publicam aliquam Religionis controuersiam definiat, errare posse. Etsi quidem alioqui in disputatione cótra Hęreticos satis esse potuisset, id quod apud omnes Catholicos in confesso, & de fide certum, atq; adeo propriè contra Hęreticos controuersum est, defendendum suscipere: Pontificem nimirum si cum generali Concilio publicá Religionis controuersiam definiat, errare in definiendo non posse; ꝙdquid sit de altera illa quæstione, inter ipsosmet Catholicos, vt dixi, salua fide controuersa (quod non intelligit Hunnius, nescio quã inexplicabilem contradictionem hinc Catholicis exprobrans pa. 64.) nisi aduersariorũ iniquissimę importunitati, etiam quoad hác ipsam quæstioné, vt sæpe aliàs dixi, faciendum satis fuisset. Verùm cum aduersarii, & in iis pręcipuè Hunnius, circa hanc Catholicorũ sententiam intelligendã miserabiliter cæcutiant, idcirco est ea paulo diligentius explicanda. Vt igitur primò intelligatur, quid sit definiri quippiá *a Pontifice, vt Pontifice*, seu *publica ac summa authoritate iudiciaria in terris*; distinguenda sunt in Pontifice varia actionũ genera, quibus aliqua de re suam declarare potest sententiã. Primò enim facit, aut dicit quædam Pontifex in cõmuni vitæ consuetudine, instar alicuius priuati hominis; qualia sunt v. g. ambulare, comedere, mandata domestica ministris dare, emere, vendere, &c. Huius generis etiam essent illa, de quibus in Colloquio facta est mentio, si Pontifex Iudæis, aut Hæreticis Synagogam, aut templum ædificaret; Idolo cultum deferret; in hæresin incideret, &c. Qualia scilicet actionum genera, cum quilibet etiam priuatus exercere possit, non procedunt à Pontifice quâ Pontifex, & caput Ecclesiæ est; sed solum velut à priuata quapiam persona; non

Bellarm. li. 4. Pontif. c. 2.

quasi

quasi Pontifex hæc faciens, Pontificis personam interim exuat, sed quia in his sanè Pontificem non agit.

Deinde sunt aliæ quædam actiones summo Pontifici cum quibuslibet etiā priuatis Doctoribus, aut viris alioqui doctis vel sacris cōmunes, atq; adeo nec Pontificis summi propriæ, nec tamen quibuscunq; plebeis conuenientes. Tales sunt, v.g. de reb. Theologicis disputare, cōcionari, libros scribere, sacra celebrare, &c. Et nec isto quidem actionū genere dicitur Pontifex vt Pontifex quippiam definire: quandoquidem ipse nihil istorū facit, Pontificia illa & suprema potestate, nec tali docendi aut operandi genere vniuersam Ecclesiam obligare intendit.

Est igitur tertiū actionum genus, quo tanquam summus Pontifex definire quippiam censetur, cum videlicet quippiā seu ad fidem, seu ad mores pertinens, necessariò credendū aut obseruandum Ecclesiæ proponit; ita vt fas non sit aliter sentire aut facere; atq; adeo cum aliquo publico decreto obligare vult Ecclesiā: siue id fiat in aliquo Concilio, seu extra Concilium, per bullā, aut quodlibet aliud publicū decretum. Et velle quidem sic obligare Pontificem, colligitur ex ipsis verbis. v.g. Imperamus, mandamus, Apostolica authoritate decernimus, &c. Itē ex adiecta pœna anathematis, & huius generis aliis loquendi formulis, quas Canonum Doctores accuratius explicant.

Iam verò cum eiusmodi Pontificis definitio ad varia extendere se possit, Catholici non in quibuscunq; rebus definiendis infallibilē Pontificis authoritatē agnoscunt, sed solùm in definiendis publicis Religionis controuersiis, quæ videlicet aut mores, siue cultū, aut fidem cōmunem totius Ecclesiæ concernant; quæ proinde ēt decreta vniuersam Ecclesiam obligent. In quæstionibus a. facti particularis, v.g. an hic vel ille, hac vel illa dignitate Ecclesiastica dign⁹ sit, an ritè elect⁹, &c. In his, inquā, & similib. infinitis decernendis errare posse Pontificē Catholici non negant, rati, eū solū vt dixi, in publicis Religionis controuersiis definiēdis falli non posse.

Neque verò hoc temerè aut inconsultò dicitur, sed ex certissimis argumentis à priore & posteriore colligitur. A priore quidem, quia infallibilitas eatenus tantum Pontifici competit, quatenus ipse secundaria quędam *Petra* est, cui Ecclesiæ structura nititur, iuxta illud Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiā meam, &c.* de quo alibi: Cum verò Ecclesiæ *Petra* censeri non possit, nisi ratione publicorum eiusmodi decretorum fidem aut mores vniuersæ Ecclesiæ concernentium (cætera enim particularia decreta, vt nec destruere, ita nec sustinere possunt vniuersam Ecclesiam) consequens planè est, vt in publicis solùm Religionis controuersiis definiendis, decretisque vniuersam Ecclesiam obligantibus proponendis, infallibilis censeri debeat Pontificis authoritas.

Deinde cum infallibilitas hæc Pontifici diuinitus concessa fuerit, ob commune bonum Ecclesiæ, ne videlicet ipsa, ad obedientiam Pontifici etiam in dubiis præstandam obligata, vt ex S. Bernardo capite præcedente ostendimus, à sanctitate, atque adeo vel à vera fidei sententia, vel à morum rectitudine, quandoque tota deuiare cogeretur, non fuit necesse, vt omnia Pontificis decreta infallibilia essent, sed solùm vt ea, quæ in aliqua publica Religionis controuersia proposita, vniuersam Ecclesiam obligent. A posteriore verò hoc colligimus, quia in cæteris particularibus facti quæstionibus, vt & in moribus, atque in priuata vitæ consuetudine, Pontifices, quin ipsum etiam S. Petrum Pontificum primicerium, quandoque errâsse nouimus. Sed tales errores, vt dixi, ex suo genere Ecclesiæ vniuersæ nihil obsunt. Non enim tenetur tota Ecclesia aut moribus Pontificis, aut particularibus eiusmodi decretis (quæ hoc ipso quod particularia sunt, vniuersos non attingunt) suam fidem, aut mores conformare; vt proinde in his opus non sit, Pontificem infallibili definiendi authoritate præditum esse.

Quæ cum ita sint, facilè iam colligitur, quanta sit Prædicantium cæcitas, dum hanc Catholicam distinctionem, Pontifices errare posse, vt *priuatos homines*, non vt *Pontifices in definiēda* publica Religionis controuersia, logomachiam, aut Sophisticum quendam fucum appellant. Item dum Hunnius & in Colloquio, & nunc multò impudentius in suo Apologetico vanissimas suas nugas, iam sæpius à nobis refutatas, denuo obtrudit, Vriam videlicet tanquam Pontificem falsum cultum publica definitione approbasse; item fieri non posse, quin Pontifex, si Hæreticis aut Iudæis templum ædificet, hoc ipso hæresin aut Iudaismum tanquam Pontifex definiat, &c. Puerilia sunt hæc planè, & offuciæ bullis inaniores: & adhuc tamen (quod sine maximo doloris sensu non cogito) viros alioquin prudentes & cordatos talibus nugis detinent.

Et quid verò iam contra doctrinam Catholicorum hactenus explicatā obiicit Hunnius? Primò quidem præter nugas illas paulo ante recitatas, in hunc sensum ratiocinatur. Catholici in Colloquio fassi sunt, si Pontifex in hæresin, (apertam nimirum) incidat, tunc ipso facto desinere esse Pontificem; ergo potest incidere in hæresin. Quod si in hæresin incidit, ergò non est infallibilis, ergo potest errare in definiēdo, & quidem in definienda publica controuersia Religionis. Ergò Hunnius non intelligit, quid dicat, multò minùs rem, contra quam disputat; multò minimè verò quid consequens sit, aut non sit. Prima enim consequentia falsa & puerilis est; cum ex hypothetica infert categoricam; secunda extra aleas: non enim absolutè negamus Pontificem falli non posse, vt ex dictis patet: Tertia plus quàm falsa.

*Apol. pa. 64.*

Secun-

Secundo sic argumentatur. *Ratione infallibilitatis eandem rationem constituunt aduersarij inter summum Pontificem veteris testamenti, & Pontificem Romanum*: ergò sicut de Caipha dici potest, recessisse ab eo Spiritum sanctum, eò quod contra Christum sacrilegè conspirârit, ita quoque de Pontifice Romano dici poterit, recessisse ab eo Spiritum sanctum, eò quòd Euangelio se opposuerit. Respondetur & antecedens falsum, & consequentiam nullam esse. Hanc quidem, quia fulcitur mendacio, quasi nimirum Papa Euangelium oppugnet, cum tamen solummodo Pseudoeuangelium Lutheri & Caluini, &c. oppugnet. Illud verò, quia nunquam diximus, per omnia parem esse Caiphæ & Romani Pontificis rationem, quoad infallibilitatem; imo potius quoad institutum, de quo agitur, contrarium diximus; mirum videlicet non esse, quod Caiphas errare potuerit in definiendo; tum quia Synagoga paulò pòst penitus interitura tunc temporis ęgro iam capite quasi spiritum extremum agebat: tum quia eo tempore Caiphas non erat supremus iudex in terris: nos autem Pontifici tantum tribuere infallibilitatem definiendi, quamdiu supremus Ecclesiæ iudex in terris permanet. Hæc cum de Caipha à nobis in Colloquio dicta sint, at verò de Pontifice Ecclesiæ Christianæ, vtpote nunquam interituræ vsq; ad finem mundi, dici nulla ratione possint: quid est, quod Prædicans ita loquitur? quasi nos per omnia Romano Papæ Caipham, Synagogæ Ecclesiam parem fecerimus. *Apol. pag. 7.*

Tertiò obiicit protritum illud: quod Pontifices sæpe mali sunt; ergo diuinam ac infallibilem Spiritus sancti adsistentiam in definiendo, &c. non habent. Consequentia probatur, quia *sapientia non intrat in animam maleuolam, nec habitat in corpore peccatis subdito Sap. 1.* Sed *datur sapientia a Deo, his qui diligunt ipsum. Eccles. 1. &c.* Respondetur breuiter consequentiam esse vanissimam. Ad obiecta scripturæ testimonia respondetur, in omnibus illis locis quæ Hunnius recitat, sermonem esse de sapientia, quæ datur homini ob priuatam ipsius vtilitatem ac salutem; non autem de sapientia, quæ ratione officii ob publicum Ecclesiæ bonum, absq; vllis meritis & prçuia dispositione, personis quibusdam conceditur. Talis autem est infallibilis illa Spiritus sancti adsistentia, quæ Pontifici non ob priuatum, sed ob publicum bonum, non propter dignitatem accipientis, sed ob promissionem dantis certissimè adest. Exemplum huius rei exhibet Caiphas, qui cũ pessimus esset, atq; iam in ipsam Christi Domini necem sacrilegè conspirâsset, tamen quia *erat Pontifex anni illius Prophetabat*: quod his verbis magno studio annotauit S. Ioannes: *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis; vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex* *Ioan. 11.*

*anni illius Prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro gente, &c.* Exemplum aliud exhibet Balaam, qui cum esset Ariolus, nefariisque superstitionibus implicatus teneretur, Propheta tamen fuit, nec potuit nisi bonum Israeliticæ genti denunciare Num. 23. & 24. Vbi notatu digna sunt illa verba, quibus Balaam à Rege Balac obiurgatus, quod Israëli benediceret, respondit. *Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus?* Et rursus. *Non est Deus*, inquit, *quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est & non implebit?* (nota Hunni) *Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo.* Audis Hunni? Spiritum sanctum cogentem etiam malos bene dicere? Sed & exemplum & testimonium eius rei luculentissimum præbet scriptura noui testamenti Matthæi septimo, *Multi dicent mihi*, (inquit Saluator) *in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis quia nunquam noui vos: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Dic Hunni: anné mali fuerint isti, an boni? an Spiritum sanctum tamen ad prophetandum, & virtutes multas ob Ecclesiæ bonum patrandas assistentem sibi non habuerint? Sed quid clarius illo Matthæi 23. *Super cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi; omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite, secundùm opera verò illorum nolite facere.* Audisné Hunni malos bona docentes, & Spiritum sanctum non in suam, sed aliorum vtilitatem habentes.

August. lib. 4. de doct. Christ. Præclarè Augustinus. *Qui sapienter*, inquit, *& eloquenter dicit, viuit autem nequiter, erudit quidem multos dicendi studio, quamuis animæ suæ sit inutilis, sicut scriptum est, scribæ & Pharisæi in cathedra Moysis sederunt: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; Dicunt enim & non faciunt. Vnde ait & Apostolus: siue occasione, siue veritate* CHRISTVS *annuncietur:* CHRISTVS *autem veritas est, & tamen etiam non veritate annunciari veritas potest: id est, vt à prauo & fallaci corde, quæ recta & vera sunt prædicentur. Sic quippe annunciatur* IESVS CHRISTVS *ab eis, qui sua quærunt, non quæ* IESV CHRISTI. *Sed quoniam boni fideles non quemlibet hominem, sed ipsum Deum obedienter audiunt, qui ait: Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim & non faciunt; ideo audiuntur vtiliter, qui etiam vtiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus priusquam de talibus, quod commemoraui, diceret, præmisit; Cathedram Moysi sederunt. Illa ergò cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes &c.*

Matth. 23. Philip. 1. Philip. 2.

In

In eundem sensum etiam alibi redarguit Augustinus Petilianum, qui itidem more Prædicantico scriptura ex Psalmo citata, cathedram Ecclesiæ, *cathedram pestilentiæ* vocabat, cui Augustinus respondet: *Et hæc non vides non aliqua esse documenta, sed vana conuitia? Hoc enim est illud, quod paulo ante dixi:* (nota Hunni) *verba legis dicitis, sed in quos dicatis non attenditis, sicut Diabolus verba legis dicebat, sed cui diceret, non agnoscebat. Ille caput nostrum sursum ascensurum deorsum volebat deijcere, vos autem corpus eiusdem capitis, quod per totam terram diffusum est, ad exiguam partem vultis redigere.* Et infra: *Si omnes,* inquit, *per totum orbem tales essent* (accommoda ad Pontifices, Hunni) *quales vanissimè criminaris, cathedra tibi quid fecit* ECCLESIÆ ROMANÆ, *in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separâstis? Quare appellas Cathedram pestilentiæ* (cathedram Antichristi) *cathedram Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui & non facere, nunquid Dominus* IESVS CHRISTVS, *propter Pharisæos, de quibus ait, Dicunt enim & non faciunt, cathedræ, in qua sedebant, vllam fecit iniuriam? Ait enim, cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, quæ autẽ faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis cathedrã Apostolicam, cui non communicatis. Sed quid est aliud nescire, dicere; & tamen non posse, nisi maledicere.* Ita Augustinus Donatistæ Hæretico, nos Lutherano. *Aug. libr. contr. Pet. c. 51.*

Qui etiam in eo Calumniatorem agit, dum paucorum improbitatem, etiam cæteris impingit. Mendacium enim est, Pontifices maiore ex parte improbos fuisse; mendacium quod hoc historiæ testentur; mendacium quod hoc Georgius Gotthardus scripserit in suo Apologetico contra Heerbrandum. Eius verba, quæ mutilè citauit Hunnius, hæc sunt: *Hoc etiam scire te volo, Heerbrande, me in astruenda Romanorum Pontificum dignitate non tam personam, quàm officium spectare, neque omnium Pontificum defensionem suscipere, cum plerosque vitam turpem atque flagitiosam traduxisse luce sit clarius. Sed aliquorum Pontificum vitæ turpitudo innumerabilium summorum Antistitum* (nota Hunni) *res præclarè gestas, sanctitatem, puritatem obscurare minimè debet, cum Iudæ proditoris nefarium scelus in cæterorum Apostolorum iniuriam & Apostolatus ignominiam non redundarit.* Audisti Hunni? summos Antistites, respectu malorum, bonos fuisse *innumerabiles. Plerosque* ergo superius dixerat, vsurpata hac voce (vt etiam authores latini quandoq; faciunt) pro *nonnullis.* Mendacium demum est, Iacobum Gretserum nostrum in suo ad theses Hunnianas responso, cui nihil adhuc respondit Hunnius, Apostolicæ *Georg. Gottb*

sedis

*rum inuenturi sint multiplicem scientiam: Planè confidimus, nos Dei voce per hunc Prophetam & Legatum Domini ab arrogantia crimine absolui: si maximè gratis mentibus agnoscamus, nos, qui in ipsum tempus reuelationis Antichristi incidimus, esse Dei beneficio, Patribus, hac quidem in parte oculatiores, vtpote quorũ tempore nondum ita in apertum eruperat Antichristus; & vaticinia omnia tum demum liquidiùs intelliguntur, quando euentu res prædictæ adimplentur.* Ita Hunnius, qui vt patet, tantum abest, vt quoad huius mysterij cognitionem se sanctis Patribus anteponere vereatur, vt etiam ipsimet Prophetæ Danieli se homo impudens anteferre nihil reformidet.

Mirum profectò, si non vel hac sola impudentia, se vniuerso mundo detestabiles reddant Prædicantes, qui si Diis placet, adeo præclari sunt scripturæ interpretes, vt etiam ipsismet Prophetis eius authoribus anteferre se audeant. Sed vt nihil de Propheta Daniele dicam, cui iniuriam facerem, si vel componere Pręedicantes vellem; vt etiam pręteream, quàm turpiter ad Antichristi mysterium verba illa posteriora Danielis trahat Hunnius, cum ex verbis præcedentibus Danielis eo loco: Et dixi, *Domine mi, quid erit post hæc?* manifestum sit, ea de die iudicii mortuorumque resurrectione intelligenda esse: illud tantum aueo scire, quidnam tandem sit illud, quod Prædicantibus adeo impudentis confidentiæ pruritum indiderit, vt se sanctis Patribus, quoad huius mysterii notitiam anteponere ausint. Assignant nimirum temporis circumstantias, impletiq; vaticinii euidentiam. Audio. Sed ob hoc ipsum vecordem aduersariorum impudentiam magis obstupesco.

Nam quod attinet ad temporis circumstantias, ac euentum Prophetiæ, etsi aduersarii, quando nam tandem Antichristi præsentia ostentare se cæperit, diuersissima dicant, in eo tamen plerique omnes conueniunt, quod circa tempora S. Gregorii Magni, aut sanè non multò post eius tempora ante annos circiter mille, Antichristus in apertam lucem prodire cæperit. Hoc si ita est, tum dicant mihi velim, qua fronte se tot sanctissimis doctissimisque Patribus, qui circa illa, & post illa tempora vixerunt, natumque, vti ipsi aiunt, Antichristum suis oculis aspicere potuerunt, nec tamen vllo modo vel minimam eius rei suspicionem habuerunt, præferre audeant. Numero ego ab illo tempore, vt ipsum Gregorium Magnum taceam, S. Maximum confessorem, anno Domini sexcentesimo decimo. S. Isidorum Hispalensem anno 630. S. Cæsarium Arelatensem anno 670. S. Audoenum Rotomagensem circa annum 680. S. Ioannem Damascenum, anno 730. S. Bedam anno 732. S. Germanum Episcopum Constantinopolitanum circa annum 730. S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum anno 755. S. Burcardum Episcopum Wirzburgensem, anno 772. S. Wilibaldum Episcopum Euchstattensem, eodem anno.

S. Vdalricum Auguſtanum anno 859. S. Petrum Damianum anno 1050. S. Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem anno 1080. Sanctum Bernardum anno 1140. S. Thomam de Aquino anno 1274. S. Bonauenturam anno 1275. Vt omittam alios innumeros aut ſanctitatis, aut eruditionis laude clariſſimos viros, vt nihil etiam dicam de plurimis Conciliis, quæ hoc interim tempore celebrata ſunt. Ex illis, inquam, à me recenſitis doctiſſimis pariter & ſanctiſſimis viris, cur ne vnus quidem inuentus eſt, qui vt volunt aduerſarij, natum iam Antichriſtum vel per ſomnium cogitauerit? An circumſtantiæ temporis, quas nunc iactant Hæretici, eædem etiam illis temporibus non erant an doctrina Romanæ Eccleſiæ, an Primatus, (præcipuè nimirum illæ circumſtantiæ, ex quibus modò Antichriſtum exſculpere nituntur aduerſarij) illo tempore planè; vt noſtra ætate non vigebant? an Romanus Pontifex, caput Eccleſiæ palam ſe non prædicabat? an toti Eccleſiæ leges non ferebat? an etiam Imperatoribus, in ſpiritualibus & temporalibus, eo quidem modo, vt nunc facit, ius non dicebat? imò multò maximè præter ius multa in hac re à Pontificibus facta ipſimet aduerſarii calumniantur. Cur ergo ex his circumſtantiis adeò, vt ipſi quidem dicunt, luculentis Antichriſti indiciis, natum Antichriſtum Patres ſanctiſſimi & doctiſſimi non agnouerunt? cur in deſcribendis circumſtantiis Antichriſti adeò ab aduerſariis diſſentiunt?

Quænam igitur circumſtantia temporis, vel adimpleti euentus Aduerſarios ab impudentiſſima inſania excuſet? dum ſe tot ſanctis Patribus oculatiores faciunt? eiſque adeo procaciter inſultant? Noctuæ aquilis? muſcæ elephantis? hirci leonibus? homines animales viris ſanctiſſimis? ſtolidi doctiſſimis?

Iam verò quid niſi impudentiſſima mendacia cumulant, vt priorem impudentiæ notam improbiſſimi homines vtrunque ſuſtineant? Eius generis planè ſunt illa.

Primum, Pontificem *prohibere legitimum amorē fœminarum.* Mirum ſanè, quod pro *legitimo amore fœminarum* non habeat laſciuum illum ac fœdifragum, ipſumque nuptiarum tempus præuenientem Apoſtatæ ardorem in ſacrilegum illud ſcortum Madianitide fœdius, vt interim taceam, à Daniele iuxta noſtram latinam editionem etiam Hebraico textui non aduerſam, inter notas Antichriſti non reponi, quod non *curaturus* ſit *amorem fœminarum*, ſed potius contrarium his verbis: *Et erit in concupiſcentÿs fœminarum*, quod Romano Pontifici minimè; ſed Luthero & Prædicantibus optimè conuenit.

*Vid. 4. in vit. Luther. to. 3. Ihen.*

*Daniel. 11.*

Secundum mendacium eſt, Pontificem *prohibere matrimonium toti Eccleſiaſtico ordini.* Non enim propriè loquendo prohibet matrimonium;

nium; sed quam sibi quisque ipse sponte indixit continentiæ legem, seruare compellit: multò minùs *toti Ecclesiastico ordini* prohibet: solùm enim maioribus ordinibus initiati continentiæ voto tenentur, non alii.

Tertium & quartum impudens mendacium est, Pontificem *mandata sua Dei omnipotentis mandatis, & traditiones suas articulis fidei à Deo ipso in scriptura conditis anteponere.* At quæ quibus mandatis aut articulis Hunni? Lutheranis scilicet illis in scriptura reprobatis, & in veteribus iam illis Hæreticis Simone Mago, Aëtio, Iouiniano, Vigilantio, Eutychete, &c. damnatis. *Apol. pa. 183.*

Quintum & sextum nefarium mendacium est, Pontificem *Deum quendam nouum cunctis retro seculis incognitum ( DEVM videlicet Missaticum ) colere.* Itane Hunni libet perfricta fronte etiam contra tuam conscientiam mentiri atque insanire? an non Pontifex DEVM Christianorum, sacrosanctam & indiuiduam Trinitatem colit? annon huic ipsi Missæ sacrificium offert? vt iam nouem quidem seculis ( ne quid amplius dicam ) maiores nostros obtulisse tu ipsemet agnoscis? anne ergo *DEVS nouus* tibi videtur Hunni? anne *cunctis retro seculis incognitus?* an potius miser prudens & sciens etiam DEVM negare ac blasphemare pro ludo habes, modò calumniam Pontifici inferas? an verò cultus ipse Missæ vasis ac vestibus auro gemmarumque ornatu mirificè splendicantibus celebrari solitus, nouus tibi & Antichristianus videtur?

Quid ergò dices de tuis hominibus, qui Missæ cæremoniam & vestium, vasorumque eiusmodi vsum in suis quoq; Missis adhuc retinent? Quid Augustanæ Confessioni facies, quæ Missæ celebrationem adeo luculenter asserit: *Falsò*, inquit, *accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant; retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur. Seruantur & vsitata ceremoniæ ferè omnes, &c.* Ecce Hunni? Si vocabulum sugillas, si inquam *DEVS Maozim* apud Danielem, vt tu impudenter blasphemas, *DEVS missaticus* est, Confessio tua & eam seruat & tuetur; en vt tu loqueris, *DEVM missaticum* habet. Si de re loqueris, & si quidem illi ipsi, qui huic articulo Confessionis Augustanæ se conformare iactant, vix vmbram Missæ retineant, cultum tamen illum externum auro, argento, gemmisque radiantem, quem Hunnius Antichristi notam statuit, seruant; atque interim ipsissimum corporis & sanguinis CHRISTI sacrificium, in quo Missæ substantia Hæreticis omnibus exosa consistit, omnemque Missæ apparatum veteres illi fidei Catholicæ magistri, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, tum ipso vsu, tum libris editis magnificè nobis commendatum tradiderunt.

Et quid primi illi Christiani Imperatores in eiusmodi Religionis cultu exornando magnificentissimi, anne simul quasi Christiani & Antichristiani facti sunt? Nusquam ne fuit Religio Christiana, nisi Antichristiana esset? Lege historias omnes, Hunni, nouas, veteres; latinas, græcas, omnes vno quasi ore huic diuino Missæ cultui luculentissimum testimonium perhibent. Prodeat vnus instar omnium Magnus Constantinus, primus quodammodo Christianus Imperator, qui ante annos circiter mille & trecentos sanctitate Religionis, & Maiestate Imperii celebratissimus floruit: de quo sic Platina scribit: *Constantinus*, inquit, *augendæ Christianæ Religionis cupidus, Basilicam Constantinianam (quam Lateranensem vocant) ædificauit, donisque plurimis eandem exornauit. Nam & fastigium argenteum templo obtulit, habens in fronte saluatorem sedentem in sella, quinque pedum, centum & triginta librarum; & duodecim Apostolos in quinis pedibus librarum nonaginta, cum coronis argenti purissimi. Saluatorem quoq; addidit respicientem in Apsida, sedentem in throno, quinq; pedum, cuius pondus centum quadraginta librarum erat. Angelos quatuor ex argento ponderis centum & quinque librarum. Coronas quatuor ex auro purissimo, cum Delphinis viginti librarum, altaria septem* ( nota Hunni pro Missa ) *ex auro purissimo ducentarum librarum.* Et paulo post: *Sacrumque præterea fontem instituit apud eandem Basilicam ex lapide Porphyretico, cuius tota pars illa quæ aquã continet, ex argento erat. In medio autem fontis columna Porphyretica posita erat, in qua aurea phiala, quinquaginta librarum balsamo plena, in celebritate Paschæ vsum nocturni luminis præstabat. In labro fontis stabat agnus auri purissimi, vnde aqua fundebatur. Non longè ab agno erat saluatoris statua argenti purissimi, centum & septuaginta librarum. Ad alteram partem stabat Ioannis Baptistæ statua argentea centum librarum, hunc titulum præseferens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; septem verò cerui aquam fundebant, quorum singuli octoginta librarum erant.* Et infra: *Idem etiam Constantinus*, inquit, *rogatu beati Syluestri Petro Apostolorum Principi Basilicam in Vaticano ædificat, non longè à templo Apollinis, quo in loco eiusdem Apostoli corpus splendidè ac mirificè collocauit. Ex ære enim & cupro vndiq; clausum erat. Supra beatissimi Apostoli sepulchrum crux centum & quinquaginta librarum extabat ex auro purissimo. Aderant circumquaque candelabra quatuor argento conclusa, cum sigillis argenteis, vnde Apostolorum actus cernebantur. His addidit calices aureos tres librarum duodecim, calices argenteos viginti, quorum singuli decem librarum erant. Metretas argenteas quatuor, ducentarum librarum: patenam auream cum thure & columba ornatam gemmis hiacynthinis, & margaritis triginta librarum. Ipsum autem altare erat clausum argento & auro, distinctumque pluribus gemmis.* Sed quàm vereor Hunni, ne vasa tam pretiosa Caluinisticam tibi sitim excitent, vt for-

tasse

tasse malis tuo ventri Deo, quam vero Deo esse deuota. Sed ringere, vt lubet, etiam Antichristum exclama, nihil promouebis: Nam etsi omnino cum sociis tuis Caluinistis aurum templis adimeres, cultum tamen veri Dei nobis non auferres.

Sextum mendacium Hunnij est, Antichristum culturum esse *Deum missaticum*. Tacet nimirum Hæreticus vocabulum, quo Antichristi Deum Daniel insignit, *Deum Maozim* appellãs; quo nomine omnes antiqui intelligunt, aut diabolum aliquem, aut ipsum Antichristum designari. Certè quidem cùm vocabulo *Missa*, nec sono, nec significatione, nec origine conuenientiam habet; nisi qualem forte cum Prædone habet Prædicans.

Septimum mendacium est, quod Pontifex dignitates & *terram eis diuidat, qui missaticum Deum munire student proq; eo depugnant*, vt Hæreticus loquitur. Nam Imperij translatio, quam Hunnius cumprimis in terrę diuisione computat, Pontificis authoritate, ob Oriente ad Occidentem facta non est, quod Carolus Magnus contra Græcos Imperatores Missæ cultum propugnaret, vtpote quem Græci non impugnauerant: sed quia aliis modis tam Græci titulo ac viribus occidentalis Imperij priuari, quam Carolus Magnus propugnator fidei Christianæ ac Religionis acerrimus, iisdem exornari commeritus fuerat; de qua re infra.

Octauum mendacium est, quod *Papa*, vt ait, Hunnius, *ex nundinatione varia, per auaritiam ab omnibus regnis orbis Christiani aurum emungat*. Ex historia enim constat, opes præcipuas Ecclesiæ Romanæ Regum Christianorum munificentiâ, nulla Pontificum nundinatione aduenisse; meraque esse mendacia quæ de taxis Cancellariæ Apostolicæ iam aliâs scripserat Hunnius, discere poterit ex Apologia Gasparis Schoppij. Quod si Pontifex toti orbi Christiano operam suam nauans, aliquid ex orbe Christiano commodi vicissim recipit; quid hoc iniqui est? *Quis*, inquit, *Apostolus militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de eius fructu non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat, &c. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum si nos carnalia vestra metamus?* Prædicantes ne digitum quidem mouerent ad infantem tingendum, nisi argento delibutum, & Pontifici Romano omnem tantæ curæ, tantarumque expensarum, quæ in eâ cura necessario fieri debent, remunerationem inuident? *1. Corinth. 9.*

Nono falsum est, quod Daniel Antichristi sedem *inter duo maria* constitutum describens, Romanam vrbem intelligat. Communis enim Sanctorum Patrum interpretatio Hierosolymam, aut locum ei propinquum exponit, constitutum inter duo maria, mare videlicet mortuum ab Oriente, & mediterraneum ab occidente, in quorum medio sita est.

Hierosolyma, vt etiā interpretatur S. Hieronym⁹ in vllum locum. Quid, quod illud figmentum ex ipsis etiam Danielis verbis apertè redarguitur? vocat enim locum in quo sedem fixurus sit Antichrist⁹, *montem inclytum & sanctum*, quod de monte Sionis aut Oliueti iuxta scripturā rectè interpretantur S. Patres, sed de vrbe Romana explicare non potest Hunnius.

Decimò mendacium est, quod sub Papæ tyrannide fuerit afflictio magna, *qualis non fuit ex quo gentes esse cœperunt*. Sed quænam illa quæso tanta afflictio? An quia Romæ non viuere licet Hæreticis, nisi vitam Salamandræ viuant? Sed multò sane plures columbæ assantur apud Hæreticos. De qua re videatur libellus de persequutione Anglicana. Item alius liber de concertatione Ecclesiæ Catholicæ in Anglia.

Vndecimo falsum est, quod de *spirituali*, non corporali afflictione loquatur Daniel. Nam si hoc ita est, tunc etiam consequenter spiritualiter accipienda erunt, illa, quæ apud Danielem eo loco præcedunt. *Ingredietur terras, & conteret & pertransiet, & introibit in terram gloriosam, &* Dan. 11. *multi corruent, &c. Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti, per Libyam quoq; & Aethiopiam transibit, & fama turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone, & veniet in multitudine magna, vt cōterat & interficiat plurimos.* An hæc tibi spirituales afflictiones videntur Hunni?

Duodecimò falsum est, quod *lux Euangelica vitio Papæ fermè sit extincta*. Nam Lucem Euangelicam per Pontificem egregiè in mundo sparsam & diffusam fuisse, patebit capite sequenti.

Decimo tertio falsum est, ostendi posse aliquem populum *electum*, qui hoc tempore, quo Antichristum durâsse mentiuntur aduersarii, saluus esse potuerit; si quidem, vt ipsi aiunt, eorū fides sola vera fides est, cum nullus hac fide prædit⁹ ab initio promulgati Euangelii Christiani vsq; ad Lutheri tēpora ostendi possit; de qua re plurib. in Apologetico Præfationis Apolog. ca. 5. actū est. Atq; hæc scilicet sunt signa illa, ex quibus Prædicantes omnibus antiquis Doctoribus sanctissimis pariter & doctissimis oculatiores, Antichristum iam ante multa secula aduenisse persenserunt. Sed pergamus excutere cætera.

Dixeram, omnes S. Patres intellexisse, Antichristū illum, de quo Dan. 11. & 2. Thessal. 2. vnam singularem personam futurū. Quid ad hoc Hunnius? ait esse *fatuū, & in diuinis litteris inscitiā non excusandā*. Optimè Hunni, hoc ipsum volebā, vt tua scilicet adeò execrabilis impudentia toti mūdo manifesta fieret. Et quis quæso hunc terræ filiū æquo animo ferat omnib⁹ S. Patribus adeo procaciter insultantem? omnes S. Patres præ se contemnentem? omnes inscitiæ redarguentem? tot viros, sanctitate doctrinaque præcellentissimos? quorum vel vnicus toti Prædicantium gregi à quouis sano iure anteferendus sit?

Et

Et quid tandem in scriptura est, quod vnũ non fore hominem adeo luculenter demonstret, ob cuius ignorantiam S. Patres illi inscitiæ non excusandæ damnandi sint? Primò inquit Hunnius, quia Paulus scribit, 2. Thes. 2. Antichristũ iam tum *suo tempore mysteriũ agere iniquitatis*, atq; nihilominus affirmat, Antichristum demũ *abolendum esse claritate aduentus Christi, quæ quidem*, inquit, *non possunt in vnam aliquã personam conferri, nisi ea persona viuere statuatur ad multa secula.* Sed nimis tardè ꝓdis, mi Hunni. Hoc enim argumentũ à Caluino obiectum dudum profligauit noster Bellarminus. Summa est, Apostolum nequaquã significare, Antichristum iam tum in sua persona grassari cœpisse, sed solum in suis membris, qualis Nero & Simon Magus, vt oẽs veteres interpretantur; & ex eo euidẽs est, ꝙ ibidẽ ipsemet Paulus Thessalonicẽses hortatur, ne credant *instare diem Domini*, rationem afferens, quia nondum *reuelatus* sit *homo peccati*, Antichristus videlicet, reuelandus *suo tempore, cum è medio factus fuerit ille, qui tenet*, hoc est, vt S. Patres interpretantur, cum sublatum fuerit Romanum Imperium. Quomodo ergò tunc natus esse potuit Antichristus?

*Bellarmin. de Pontif. libr. 3. cap. 2.*

Quod etiam ex eo confirmatur, quia si iam tunc natus erat Antichristus, idq; in Pontificibus & Episcopis Romanis, vt volunt Hæretici, consequens est, vt Petrus fuerit Antichristus; non enim tunc alius erat Romanus Episcopus, præter istum. Addo etiam Apostolũ non dicere, quòd *Antichristus operabatur iam tum mysteriũ iniquitatis*, vt falso dicit Hunni⁹, sed absolutè ait, *mysterium iniquitatis* Antichristianæ *iam operari.*

Alioqui certè vix potuit Apostolus euidentius indicare, Antichristum vnam singularem personam futurum, quam illo ipso loco ab eo factum est: *Nisi venerit*, inquit, *discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis* (sonantius in Græco, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας) *qui aduersatur* (ὁ ἀντικείμενος) *& extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tãquam sit Deus.* Et infrà. *& tunc reuelabitur ille iniquus* (ὁ ἄνομος) *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Vbi sanè non solùm nomina illa singularia, sed & particula demonstratiua *ille*, & in Græco articulus ὁ toties repetitus singularitatem illius personæ luculenter euincunt: cum hæc articulorum Græcorum vis sit, vt vocem alioqui indefinitè positam contrahant ad rem singularem, vt & Grammatici sciunt, & notauit S. Epiphanius Græcus Doctor: *Vbi enim*, inquit, *articulus additus est, in vno aliquo determinato ac manifestissimo, omnino confirmatio propter articulum contingit. Citra articulum verò de vno quocunque tandem indefinitè accipiendum est.* Nec obstat, quod, vt ait Hunnius, sæpe in scripturis singularis numerus pro tota serie plurium personarum accipitur. Nam vbi hoc

*Epiphan. hæresi 9.*

hoc fit, nec ita per articulos, vt dictum est, restringitur indefinita nominis acceptio, & simul etiam aliunde colligere est, nomen illud speciei aut officii, non vnius indiuidui hominis esse; quod de illo Antichristo nunquam potest ostendere Hunnius; in eo planè Antichristo viam sternens, quod Antichristianum appellat illum Canonem, *Si Papa*, distinction. 40. desumptum ex responso sanctissimi Martyris & Germaniæ Apostoli Bonifacij. Neque verò illic prohibetur, fraterna & modesta correptio Papæ, sed vel Iuridica tantum, vt ex subiecta ratione colligitur, *quia cunctos*, ait Canon, *ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus*; vel vt ipsa vox *redarguendi* innuit, insolentem ac proteruam superioris correptionem interdicit, qualem senioribus, nedum superioribus adhiberi vetat. S. Paulus etiam ab Episcopo 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt fratrem.*

Sed & altera quoque ratione probat Hunnius, Antichristum vnam personam non fore. *Apol. pa. 386.* Quia *Danielis 12. & Matth. 24. pronunciatur, tantam fore afflictionem (sub Antichristo) quanta non fuerit ab initio mundi, neq; futura sit.* Ergo necessariò sequitur non vnam, sed plures esse personas: Ergo potius necessario sequitur, Hunnium turpiter nugari. Quasi verò Diabolus, si Deus ei frœnum laxet (vt quidem sub aduentum Antichristi soluendum esse pronunciat S. Ioannes. *Apocalyp. 20.*) non possit per hominem vnum totius mundi statum penitus inuertere ac euertere. Vnus Moyses Dei virtute paucis diebus quantum affligere potuit Ægyptum? Vnus Antiochus Diaboli ope quantum afflixit Iudæos? Vnus Nero quàm crudeliter discruciauit Christianos? Paucis istis annis Caluinistæ quantum afflixerunt Catholicos? Vnus Antichristus Deo concedente, sathanaque potentius cooperante, plus omnibus illis non poterit? cum nulli ex eis tanta mala fecerint, vt plura facere non potuissent, nisi Deus impedimento fuisset.

Atque has scilicet futilissimas nugas tam apertæ scripturarum sententiæ, & adeo consentienti Sanctorum Patrum authoritati opponere audet Hunnius; qui cum superius dixisset, Patres ob circumstantias temporis excusatos fuisse, quo minus Antichristi mysterium probè intelligerent, iam sepositis omnibus circumstantiis, ipsarum quoq; scripturarum non excusandam ignorantiam obiectat iis, qui ex ipsis scripturis asserunt, Antichristum vnum quendam singularem hominem futurum.

CAPVT

# CAPVT XV.

## *QVANTA IN VNIVERSAM ECCLESIAM INIVria sit, Pontificem Romanum appellare Antichristum; & quàm absurdum cogitare Antichristum Christianæ fidei Plantatorem esse.*



ALtera ratio, qua magnitudinem Prædicanticæ illius calumniæ (quod Papa sit Antichristus) obiter in Relatione monstraueram, sic habet. *Si Romanus Pontifex Antichristus est, iamque, vt dicunt, à multis annis fuit, Antichristi operâ Christum edocti sunt Francones, Saxones, cæteri Germani, Poloni, Dani, Morani, Bohemi, Vngari, & nostro æuo, Indi, Iapones, &c. Quos Romanæ Ecclesiæ sacerdotum labore, & studio in Christum credidisse, nec Sectarij negauerint.* Quid verò Hunnus? Primò negat. Sed quid? *omnes istos populos Pontificum operâ primitus esse conuersos.* Si ab eo quærã; quinam ergo hac ratione conuersi non sint, vt constet, quò nostra probatio referenda sit, cum alioquin in promptu sit, quod dictum est, ex historia commonstrare. Tacet. Hoc ne verò est Hunni argumenta dissoluere, an potius transilire? Hostem fugare, non fugere? Interim lege quid tuus Illyricus centuria prima, libro secundo, capite decimo; & centuria septima, capite secundo; & centuria octaua capite secundo, hac de re scripserit.

Sed addit tamen Hunnius duas rationes, quibus suum figmentum probet. Primùm quia *Pontifices nunquam concionantur*: ergò eorum operâ, missis adhoc Prædicatoribus, populi illi non sunt conuersi. O acumen!

Secundò, *testantur*, inquit, *Historiæ, quod aliorum Ecclesiæ Doctorum operâ, nonnulli ex hisce populis ad Christianismum sint perducti; qui superioribus illis seculis, ante annos mille & eo amplius passim docuerunt, haud perinde se subiectos agnouerunt Romano Pontifici.* Sed aerem verberat Hunnius. O- *Apol. pag. 388.* perâ enim aliorum Doctorum, eorum videlicet, qui à Pontificibus Romanis ad eam rem destinati fuerint, Augustini, inquam, Patricij, Materni, Chiliani, Bonifacij, S. Wiberti, Ruperti, &c. eos populos esse conuersos, nos ipsi dicimus. Eos verò *non ita agnouisse se subiectos Romano Pontifici*, mendacium turpissimum est; nec poterat Hunnius nominare vnicum, aut Doctorem, aut Episcopum Orthodoxum, qui negârit, se Papæ tanquã vniuersali Ecclesiæ capiti subditum esse. Aut si potuit, cur non nominauit? cur adeò cautè semper ac timidè in thesi versatur? cur ad hypothesin non descendit? An hoc ideo solùm facit, vt maiorem habeat men-

tiendi libertatem? Certè S. Bonifacius Martyr (vt vnum è multis proferam) & ob prædicatum in Germania Euangelium, meritò Apostolus Germaniæ dictus, adeò se, omnesq; Christianos Papæ subiectos profitetur, vt vel ob hoc ipsum, Canonem illum, *Si Papa*, supra citatum, ex eius literis desumptum, Antichristianum vocet Prædicans.

Similiter mendacium calumniis fœdissimis aspersum est, quod his verbis asserit Hunnius: *Sed & qui multò post docuerunt apud hos vel illos populos Christianam religionem, non hoc fecerunt, vt iurati Romanæ bestiæ, sed vt serui Christi*; per *iuratos* scilicet *Romanæ bestiæ*, intelligens eos, qui Romano Pontifici velut Christi Vicario, & vniuersali capiti Ecclesiæ fidem & obedientiam suam addixerunt. Sed enim ex omnibus illis primis Christianæ fidei Prædicatoribus, vt paulo ante diximus, nullum vnquam nominare poterit Hunnius, qui se Romano Pontifici dicto modo subiectum non esse professus fuerit.

Sed quorsum illud spectat, Hunni? *Distinguendum enim est*, inquis, *inter doctrinam cœlestem, quæ in puris suis partibus non est Papæ, sed Dei, & deinde inter Antichristi tyrannidem quæ sibi administrationem rerum & officiorum Ecclesiasticorum rapuit, quod illũ ita facturum esse iã olim Spiritus sanctus annunciauit.* Accipio hic quidem lubens, quod Papam solummodo Antichristum esse significet ratione potestatis, quam in Ecclesia iure vsurpat; etsi quidem in hoc ipso malè suum Melanchthonem tractans, qui vt alibi à me bis scriptum, sed nullo adhuc responso ab Hunnio tactum est, in subscriptione articulorum Schmalcaldicorum testatus est, posse iure humano *superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet* concedi Pontifici, si *Euangelium (Lutheri) admitteret*; doctrinam videlicet in eo, non authoritatem reprehendens; Sed quorsum illa Hunnii pertinẽt? aut quid sibi volunt? an (vt particula, *enim*, alioqui indicat;) tanquam probatio præcedẽtis mendacii sunt adducta? Sed qualis obsecro hæc consequentia? Distinguendum est inter tyrannidem Papæ, & inter doctrinam: ergo Prædicatores illi Euangelici non professi sunt, se subiectos Papæ, tanquam oues pastori, tanquam legatos leganti, tanquam milites Duci. Si verò consequentia non est, quid sibi vult illud, *enim*?

*Relat. part. 3. ca. 4. Exam. Hunn. Relat. cap. 22.*

Deinde quid tandem iuuat ita impudenter mentiri? Primò Papam *per tyrannidem rapuisse sibi administrationem rerum & officiorum Ecclesiasticorum*. Dic Hunni, quis? Cui? Quando? Vbi? Quo modo? Qua via? Itane continuò obmutescis? Quasi verò satis sit in aërem mendacia verba iactâsse? II Spiritum sanctum prænunciasse, id ita facturum esse Antichristum? Vt se non orbis Dominum, sed seruum seruorum Dei nuncupet? Non Deum, sed ministrum Dei? Non Antichristum, hoc est, inimicum Christi, sed Vicarium Christi? Non contemptorem, sed successorem.

ſorem Petri? Non Regem, ſed paſtorem Dominici gregis? Dic Hunni vbi hæc prodigia legiſti?

Equidem Danielem lego, qui ait, Antichriſtum ſe eleuaturum ſuper omnem Deum, nec quenquam Deorum veneraturũ. *faciet*, inquit, *iuxta voluntatem ſuam Rex, & eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum; & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia. Perpetrata quippe eſt definitio. Et Deum Patrum ſuorum non reputabit; & erit in concupiſcentijs fœminarum; nec quenquam Deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget. Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur: Et Deum quem ignorauerunt Patres, colet auro & argento & lapide pretioſo, rebuſque pretioſis.* Apoſtolum lego, qui Antichriſtum vocat *hominem peccati, filium perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Apocalypſin lego, quæ ſimiliter de Antichriſto loquens, ait. *Et datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias, & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant, &c.* Num hæc facit Pontifex? profeſſione Chriſtianus? vocatione & ſtudio fidei Chriſtianæ propagator? Officio ſeruus ſeruorum Dei? Religione Dei, & ſanctiſſimæ Trinitatis omniumque cœlitum tantus cultor, vt etiam ſuperſtitioſè Religioſum eum Hæretici vocent? An verò hoc eſt, *non reputare Deum Patrum ſuorum? magnificari aduerſus Deum? nec quenquam Deorum curare? extollere ſe ſuper omne quod colitur? ſedere in templo Dei oſtendendo, tanquam ſit Deus? blaſphemare nomen & tabernaculum Dei? & eos qui in cœlo habitant?* O tempora, ô mores! Tam abſurdis, execrabilibus, & ex ipſa ſcriptura luce clarius damnatis mendaciis & calumniis, ab imperitiſſimis iſtis Thraſonibus, adeo turpiter mundum ludificari.

*Dan. 11.*

*2. Theſſal. 2.*

*Apocalyp. 13.*

Sed ait ſcripturæ irriſor: Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei 2. Theſſalon. ſecundo, Ergo futurum profeſſione Chriſtianum: Ergo, Hunnius rurſum turpiſſimus ſcripturæ detruncator eſt. Cur enim, Hæretice, textum integrè non recitas? Cur omittis modum ſedendi? Quem Apoſtolus, magna vtiq; prouidentia ac diuino conſilio, ad Hunnii eiuſq; ſimilium calumniatorum ora obſtruenda, his verbis adeo luculenter expreſſit: *Oſtendens ſe, tanquam ſit Deus*; vt paulo ante ex Apoſtolo recitauimus. Hoc ne eſt profeſſione externa eſſe Chriſtianum; ſedere in templo Dei, ſeu Hieroſolymitano ab Antichriſto reædificando, vt communiter ſancti Patres intelligunt; ſeu in aliquo Chriſtianorum templo, vt nonnulli volunt, oſtendendo, ſe tanquam ſit Deus? & extollendo ſe ſuper omne, quod dicitur Deus?

Secundò Apocalypsis 13. *Introducitur*, inquit, *illa bestia, vt duobus armata cornibus, quæ Spiritus sanctus dicit esse similia agni. Si quidem sub titulo & nomine Christi agni Dei, cuius in terris vicarium sese iactat, potestatem vtramque, per duo cornua designatam, sibi vendicauit arrogantissimè.* Sed hæ meræ calumniæ sunt & scripturarum deprauationes. Etenim in citato illo capite Apocalypsis de duabus bestiis fit mentio, prima de mari ascendente, per quam Antichristum intelligi omnes communiter Doctores consentiunt. Sed de hac non dicitur, quod habitura sit duo cornua agni similia. Altera, quæ ascensura sit de terra. Per hanc verò sancti Patres aut Hæreticos prædicatores intelligunt, aut quod verosimilius est, eximium aliquem Antichristi præcursorem Pseudoprophetam, blandis verborum lenociniis, simulata sanctitate decoratis, & potestate falsorum miraculorum, tanquam duobus cornibus, viam Antichristo sternentem, eo ferè modo, quo Lutherus ex vtriusque testamenti scripturis turpiter deprauatis animas multorum occidit. Atque hinc posteriorem hanc bestiam armigerum Antichristi vocauit Irenæus lib 5. cap. 28. *Post deinde*, inquit, *& de armigero eius, quem & Pseudoprophetam vocat, loquebatur, inquit, quasi Draco, & potestatem primæ bestiæ omnem faciebat in conspectu eius, &c.* Nihil ergo hoc ad Antichristum, multò minus ad Papam pertinere potest; cuius doctrinam *abominandam* vocat Hunnius. Quia Hæreticum ac malè sanum stomachum habet; mendaciis, non veritate ali consuetum.

Apol. pa. 389. Sed & alio signo confirmat Hunnius, intelligi facilè posse, Antichristi operâ populos ad Christum fuisse conuertendos; *Siquidem & Iudas*, inquit *(quem Christus Diabolum nominat Ioan 6.) in Christiana religione homines erudiuit, doctrina simul & miraculis.* Quin etiam scribas & Pharisæos *circumisse mare & aridam*, vt gentes ad suam religionem conuerterent, & tamen ab *ipso Christo fuisse dictos fures & latrones.* Sed nugæ sunt istæ. Nam quæ comparatio Iudæ & Pharisæorum, qui circumientes mare & aridam vix vnum Proselytum aut Christianum faciebant; & Pontificum, quorum opera tot populi conuersi sunt? Deinde aliud est, malum esse priuatis moribus & officio bonum, quales fuerunt illi; aliud & moribus & professione ac doctrina simul omni modo execrabilem esse, vt Antichristum futurum esse supra ostendimus. Ostendat mihi Hunnius de Antichristo similiter, vt de scribis & Pharisæis à Christo pronunciatum; *Omnia quæcunq; dixerint vobis seruate & facite, &c.* Vel vt de Apostolis; *Qui vos audit me audit, &c.* Et tunc fatebor nullam iniuriam Christo & Ecclesiæ facere, qui tot populos ab Antichristo ad Christi fidem conuersos dixerit. Vt interim taceam à Christo non Pharisæos & scribas, sed eos, qui se ante Christum pro Messia impudenter iactarunt, fures & Latrones vocatos esse.

Matth. 23. Luc. 10. Ioann. 10.

Sed

Sed & illi vanitati pertinaciter adhuc insistit Hunnius, tot scripturis iam hactenus adeò luculenter refutatæ. Videlicet incredibile fore, vt Antichristus seipsum pro Deo vero, atque adeo superiore omni alio Deo sit iactaturus: non quasi dicturus sit; ego sum superior *vero* Deo, vt ineptè & contra nostram mentem Catholicis affingit Hunnius, vt alibi dictum est; sed quia sit se ipsum pro vero Deo ostentaturus, atque adeo superiorem pronunciaturus eo, qui reipsa verus est Deus, quemque fideles pro vero Deo hactenus coluerunt. Hanc verò Catholicam doctrinam cum in Relatione SanctorumPatrũ autoritate, & imprimis Irenæi libro. 5. cap. 25. testimonio (quod ipse iam tacitus transilit) confirmatã proposuissem; deinde verò etiam variis exemplis ex historia desumptis, credibile fecissem, quod incredulus Prædicans penitus mirabile asserebat; primò quidem integrarum nationum, quas bestiis etiam quibusdam atque iumentis, serpenti, boui, &c. diuinum honorem detulisse legimus. Secundò Chaldeorum, qui statuam Nabuchodonosoris adorarunt Danielis 3. Tertiò Simonis Magi, qui teste Irenæo libr. 1. cap. 20. à multis pro Deo glorificatus est.

Ad ista respondet Hunnius, aliam esse rationem horum & Antichristi. *Gentium enim illam adeo crassam Idololatriam à paruis principiys exortam, tunc obtinere facilè potuisse, quando Euangelij luce hominum corda nondum erant collustrata: iam verò incredibile esse, quod quamprimum prodierit ille personatus Antichristus, Christiana religio ex animis hominum reuelli possit, & eò perduci homines, vt illum erronem heri natum, Deo, qui cælum*, inquit, *& terras condidit maiorem esse constituant?* Sed dupliciter imprimis statum quæstionis inuertit Hunnius. Primò quia non dicimus omnem Christianam religionem penitus ex hominum cordibus esse reuellẽdam, sed sanè quidem multos hominum, tum potentia, tum prestigiis deceptos Antichristo adhæsuros, idque tanta pronitate, vt si fieri posset, in errorem etiam inducerentur iusti. Deinde nunquam diximus homines credituros, Antichristum esse maiorem Deo vero, qui cælum & terram cõdidit, absolutè videlicet & in sensu composito loquendo, sed solùm materialiter, Antichristum videlicet esse verum Deum, adeoque maiorem eo, quem fideles pro vero Deo habent. Et si non obstante Euangelii palam euulgati luce, etiamnum idolis adhærent plurimi. quin etiam nostro tempore, post Catholicam fidem adeo firmiter omnium cordibus infixam, inuenti sunt, qui Luthero, Caluino, ZWinglio, Muncero, Valentino Gentili, Michaeli Serueto, & cæteris eiusmodi Antichristi prodromis nulla virtute, nulla nec vmbra quidem miraculorum claris, hominibus vix hodiè natis, flagitiosis, aut iniustis, aut dignis stigmate, contra omnem maiorum & totius Ecclesiæ prioris fidem adhærere voluerunt; quid ni multò

*Matth. 24.*

Q 3 proniùs

proniùs adhærebunt Antichristo, tot signis mendacibus, & tantis virib⁹, ab ipso Diabolo tunc soluendo subministratis præualido?

*ol. pa. 391.* Neque magis Nabuchodonosoris exemplum amoliri potest. Ait primò, Nabuchodonosor putabat esse cultum illum Deo suo, quem colebat, gratum. Esto; quanquam id fortè falsum est. Antichristus certe eò magis etiam pro sui ipsius diuino cultu stabiliendo laborabit, quo sui quisque honoris, quàm alieni cupidior est.

Secundò, *Nabuchodonosor*, inquit, *non se iactauit superiorem Deo, quem ipse Deum verum esse crederet.* Sed fortè nec Antichristus alium pro vero Deo habebit, quàm seipsum. Et figmentum est Antichristum ex nostra sententia dicturum esse, se maiorem esse Deo, quem ipse pro vero Deo haberet, vt superius dixi. Nam si alium quidem verum Deum existimabit, eum tamen suam hanc opinionem vtique dissimulaturum esse credendum est.

Tertiò, *Nabuchodonosor*, inquit, *erat potentissimus. Sed vnde ille miser* (Antichristus) *exercitum vel exiguum saltem colligat, qui heri demum prodiret ex antro Trophonij?* Sed quid tu miser ex antro Trophonij obstrepis, contra tam apertas scripturas, quæ Antichristum omnium Regum, qui vnquam fuerint, potentissimum fore, adeò luculenter testantur? Dani. 7. *Porrò cornua decem, ipsius regni decem Reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.*

Quæ verba ad Antichristum spectare non solum veteres intellexerunt; sed etiam ex consequentibus euidēter colligitur; dùm ibidem addit Daniel: *Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit, quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manus eius vsq; ad tempus & tempora & dimidium temporis, &c.* Item Dan. vndecimo dicitur, *terram diuisurus gratuitò, & dominaturus thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti &c.* Et Apocalyp. decimo tertio. *Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eum omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni.* Quin etiam omnes veteres tradunt, Antichristum futurum omnium qui vnquam fuerunt Regum & Imperatorum potentissimum.

Sed nec modum occupandi imperium tacet scriptura Daniel. vndecimo, *Stabit in loco despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* Eadem perscribunt sancti Patres,

*ieron. com- nt. Dan.* sanct⁹ Hieronymus; *Qui consurgere*, inquit, *habet de modica gente, id est de populo Iudæorum & tam humilis erit atque despectus, vt ei non detur honor regius, & per insidias & fraudulentiam obtineat principatum; Et hoc faciet, quia simulabit se ducem fœderis, hoc est, legis & testamenti Dei.* Et Hippolytus

Martyr

Martyr eandem Antichristi fraudulentiam describens ait; *Hæc omnia facient consilio simulato & fraudulento, quo circumueniant omnes, vt illum Regem creent. Nam vbi populi tantas eius virtutes & facultates perspexerint, vno consensu conuenient omnes, vnum in locum, ad creandum illum Regem, ac præcipuè Iudæorum gens, præ omnibus ipsi tyranno chara erit, dicentque illi omnes: tibi obtemperamus, & agnoscimus te iustum super omnem terram: atque initio quidem subdolè gloriam hanc repudiabit; at perseuerantes homines & obsecrantes Regem illum declarabunt.* Et rursus: *Mandata*, inquit, *mittet per vniuersam prouinciam, opera tum dæmonum, tum hominum, qui dicant: Rex magnus natus est super terram; venite omnes ad adorandum eum, en ipse vobis præstabit frumentum & vinum, & opes: ac sublimes dignitates.* Idem docet Ephrem: *Assumpta*, inquit, *potestate impudentissimus ille dæmones ablegabit ad vniuersos fines terræ, qui cunctis prædicent, magnum iam Regem cum gloria apparuisse, omnesque ad occurrendum ei, visendumque ipsius decorem innuent.* Et Cyrillus Hierosolymitanus. *Veneficijs*, inquit, *incantationibus, & malis artibus instructissimus, vsurpabit sibi potestatem Romani Imperij, falsò autem Christum seipsum vocabit, & per hanc Christi appellationem Iudæos, qui venturum expectant decipiet; gentes verò per magicas imposturas seducet.*

*Hippol. Orat. de Consum. mundi.*

*Ephrem tractat. de Consum. sæculi.*

*Cyrillus Catechef. 15.*

Sed quid opus est curiosè modum eius rei inuestigare? Quæ multis adeò exemplis cuiuis obuia esse potest? Quot enim fuerunt olim Imperatores, qui subito tumultu, aut clamore militum à vulgari conditione ad Imperium euecti sunt? Darius hinnitu equi, cum id sortis genus forte Persis placuisset, ad regnum Persarum euectus est, vt Herodotus scribit. Alexander Magnus cum antea solius Macedoniæ Rex esset, vnus duodecim annorum spatio terrarum orbem sibi subiugauit. Sed pergamus ad reliquas Hunnij nugas excutiendas.

Quartò enim ait, Nabuchodonosor hoc *ab Ethnicis facilius poterat impetrare*: sed & Antichristus tanto facilius, quanto & potentia, & virtutibus mendacibus Nabuchodonosorem superabit, non solùm in suam sententiam pertrahendo Ethnicos & Iudæos, sed etiam Christianos præsertim illos, quibus iam ante pro Deo venter est, quique etiamnum non multò rectiùs, quàm Idololatræ viuunt. Puerilem autem illam iactationem Hunnij, quâ se euicisse gloriatur, Iudæos Antichristum, se pro DEO venditantem, non esse recepturos, iam alibi luculenter compressimus. *De Simone Mago non est opus*, inquit Hunnius, *quidquam respondere.* Sed quare? *Quia nihil eximij*, inquit, *potuit sua doctrina perficere, nec habuit magnum aliquem applausum.* Addit Prædicans, *esse de eo alioqui narrationes, de quarum fide haud abs re dubitatur.* Sed audiamus veteres, imprimis sanctum Irenæum, qui non ita multò pòst Apostolorum

*Philip. 3.*

*Apol. pro Præfat. cap. 13. 14.*

*Apol. pa. 393.*

*Irene. libr. 1. cap. 20.*

tempo-

tempora vixit. *Simon*, inquit, *Samarites, magus ille, de quo discipulus & sectator Apostolorum Lucas ait, vir quidam, nomine autem, Simon, qui antè erat in ciuitate magicam exercens artem, & seducens gentem Samaritanorum, dicens se esse aliquem magnum, quem auscultabant* ( Nota Hunni et quidem ex scriptura) *à pusillo vsque ad magnum dicentes, hic est verè virtus Dei, qua vocatur Magna. Intuebantur autē eum, propterea quod multo tempore magicis suis dementâsset eos.* Et infrà. *Et cum adhuc magis non credidisset Deo, & cupidius intendit contendere aduersus Apostolos, vti & ipse gloriosus videretur esse, & vniuersam magicam adhuc amplius inscrutans, ita vt in stuporem cogeret multos hominum: quippe cum esset sub Claudio Cæsare, à quo etiam statuâ honoratus esse dicitur, propter magiam. Hic igitur à multis quasi Deus glorificatus est, & docuit semetipsum esse, qui inter Iudæos quidem quasi filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater descenderit, & in reliquis verò gentibus, quasi Spiritus sanctus aduentauerit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater,* (nota Hunni pro Antichristo) *& sustinere vocari se, quodcunq; eum vocant homines.*

Idem de Simone Mago scribit Cyrillus Hierosolymitanus Cathes. 6. *Hic autem*, inquit, *cum esset Romæ, posteaquam ab Apostolis reiectus est, & græcam Selenem quandam meretricem circumducens, ore nefando primus ausus est dicere, seipsum esse Deum, qui in monte Sina tanquam pater apparuit: ac deinde apud Iudæos non in carne, sed in imagine tanquam Christus* IESVS *visus est, atq; postea tanquam Spiritum sanctum ad Christum mittendum se esse promissum. Et ita seduxerat ciuitatem Romanam* ( nota Hunni) *vt Claudius illi statuam erexerit, cum ea inscriptione in lingua Romana; Simoni Deo sancto. Dilatato autem errore* (nota Hunni) *par amicorum bonorum illam calamitatem correxit, Petrus & Paulus cum essent Præsides Ecclesiæ, & ostentantem sese istum Simonem statim extinxit. Cum enim prædicaret Simon, in cœlos sese ascensurum, & vehiculo Dæmonum in aerem esset sublatus; flexis genibus serui Dei & concordiam ostendentes, de qua dixit* IESVS; *quod si duo ex vobis concordauerint de quacunque re, quam petierint, fiet ipsis: concordiæ hoc telum per Orationem emittentes in magum, deiecerunt illum in terram. Nec mirum est. Petrus enim erat, qui claues regni cœlorum portabat. Non est mirandum: Paulus enim erat, qui in tertium cœlum raptus fuerat, & in Paradisum, & audiuerat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex aere in terram depresserunt eum, qui se appellabat Deum, deinceps ad inferos detrudendum.*

Idem ante illos scripsit Clemens Romanus lib. 6. Constituit. Apostolic. cap. 9. *Cum verò Romam venisset Simon Magus Ecclesiam magnopere vexabat, multos subuertendo, & sibi conciliando, gentilibus autem magicæ artis vsu & exercitatione admirationem mouendo; ita vt aliquando cum in theatrum*

*atrum meridie prodijsset, iussissetque populo, vt me* (Petrum) *quoq; in theatrum raperent; promittebat, se per aerem volaturum, cum verò cuncti promissi huius expectatione suspensi essent, ego apud me precabar, iamq; à Dæmonibus in altum sublatus volabat sublimis per aerem, dicens, se in cælum ascendere, vt inde bona ipsis suppeditaret; cunctis vero illum tanquam Deum concelebrantibus, ego manus in cælum pariter cum mente tendens, Deo supplicabam, vt istam pestem per filium suum Dominum nostrum rumperet, &c.* Et infra ait; *multos quidem defecisse ab eo, nonnullos vero illius interitu dignos in doctrina eius insana perseuerâsse.* Similia scribunt Iustinus martyr [a] Arnobius [b], Epiphanius [c], Eusebius [d], Philastrius [e], Augustinus [f], Theodoretus [g], vt cæteros prætereeam.

De his verò *dubitatur* inquit Hunnius. Sed à quibus? ab iis scilicet, qui omnem historiæ fidem, omnem Patribus authoritatem derogare pro ludo habent; de quibus videlicet iure dubitari queat, hominesne sint, an quædam in humano schemate monstra; animales profectò homines, qui non sapiunt ea, quæ sunt Spiritus.

[a] *In Apol. pro Christia.* [b] *cötr. gent. libr. 2.* [c] *Hæres. 21.* [d] *l. b. 2. ca. 14.* [e] *de Hæres. ca. 9.* [f] *Hæres. 1.* [g] *lib. 1. Hæres. fab. cap. 1.*

## CAPVT XVI.

### *QVANTA IN SACRVM ROMANVM IMPERIVM iniuria sit, Pontificem appellare Antichristum.*

INdicaueram rem hanc in Relatione breuiter his verbis: *Si Pontifices Antichristus sunt, per Antichristum Romanum Imperium acceperunt Franci, (quod iam dudum in articulo de Ecclesia fol. 393. expressè scripsit Hunnius) & postea Germani laudatissimi Imperatores; Antichristus Imperatoris eligendi authoritem tribuit Germanis Principibus; Idololatras & Antichristi prostibula, nullos vnquam verè Christianos Principes ac Imperatores ante Lutherum habuit Germania. Qua fronte hæc ô Patriæ pestes, sacri Romani Imperij Principibus ingeritis, &c.*

Hic primum fatetur Hunnius, à Pontifice ad Francos translatum esse Romanum Imperium, quidquid alioqui ipsius Illyricus de hac re delirârit. Sed ait ex hac ipsa notâ colligi, Papam esse Antichristum, hac argumentatione in terminis confecta: *Pontifices Romani transtulerunt Imperium Romanum de gente in gentem, nunc ad Francones, mox ad Germanos: Ergo re & facto demonstrarunt, se vere esse Antichristum, de quo Spiritus sanctus in diuinis literis vaticinatus est.* Ecce tibi procaciam hominis, adeo impudenter in Imperio Imperatori Imperiique Principibus insultare audentis. Et hanc ipsam tamen stolidissimam insaniam suam scripturæ integumentis sacrilegè inuestire non veretur, probè sciens, vt loquitur Vin- *Apol. pa. 396.*

centius Lyrinensis, *foetores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur.* Primò verò profert illud Lucæ 12. & Matth. 20. quibus locis non aliud, quam secularis quædam dominandi libido & licentia Apostolis interdicitur, vt alibi fusius explicatum est.

. cont.

. Hun.

ca. ult.

Deinde adfert illud Daniel. 12. vbi de Antichristo dicitur, quod terram diuisurus sit, his, qui iuuant illum *in muniendo Maozim, id est cultu* (inquit Hunnius) *& Deo missatico.* Nugæ. Primò enim Pontifex transferendo Imperium ad Carolum Magnum vllam terrarum possessionem ei largitus non est: sed quascunq; terras Magnus ille Carolus felicissimis auspiciis & planè diuino nutu primus è Francis Imperator obtinuit, earum possessionem partim hæreditate, partim armis acquisiuit; à Pontifice solummodo ius & titulum, ac dignitatem Imperatoriam adeptus.

Deinde quæ hæc amentia est, ea quæ de cultu Maozim (seu Dæmonis alicuius, seu ipsius Antichristi, sic à robore denominati) dicuntur, ad veri Dei sacrosanctum cultum transferre, de qua re iam supra dictum est; cum præsertim causa nulla esse potuerit, quare à Pontifice Romano ob missæ cultum Imperium à Græcis ad Francos transferretur.

Tertiò profert locum ex Apocalyp. decimo tertio, *Vbi Ioannes,* inquit, *introducit Papam, vel bestiam habentem cornua duo simila agni; sed loquentem instar Draconis, deque ea bestia perhibet, quod plagam quæ primæ bestiæ decicorni, id est Romano Imperio inflicta fuerat per barbaros populos, Italiam vastantes rursum fuerit curaturus, euocando nimirum ex Gallijs Carolum Magnum, cuius adiutus copijs populos illos ex Italia eiecit, & Imperium ad Francos transtulit.* Hoc scilicet est ex scriptura probare fidem; calumnias & figmenta sua scripturis in omnem partem velut in equuleo extensis accommodare; seu potius ipsas scripturas centonario more, ad vanissimi commenti descriptionem per vim trahere & rapere, non aliter ac si quis phrasibus ex Virgilio mutuò sumptis nouam aliquam fabulam descriptam reddere vellet. Sed corrigamus hos Bibliocentones Hunnio ex meris mendaciis & calumniis cōfectos. Primò falsum est, quod per bestiā habentem cornua duo intelligatur Antichristus, vt supra diximus, & ex eo euidenter colligitur, quod de secunda bestia refert S. Ioannes his verbis: *Et fecit terram & habitantes in ea adorare bestiam primam.* At sanè Antichristus, si scripturis credimus, se ipsum pro Deo, pro Rege, pro Monarcha solo ac summo venditabit vt cap. præcedente ostendimus. Deinde de bestia secunda dicitur, factură *potestatē prioris bestiæ omnem in cōspectu eius.* Sed quænam illa *potestas omnis prioris bestiæ*, quam in eius conspectu facere possit Antichristus, si quidem, vt aiunt, per bestiam priorem Romanū Imperium designetur, quo tamen, vt ex scriptura S. Patres euidenter do-

cent,

cent, sub tempus illud Imperii Antichristi non amplius extabit. Tertiò bestia secunda faciet adorari imaginem bestiæ prioris, quod nunquam faciet Antichristus, extollendus iuxta vaticinium S. Pauli, *supra omne quod colitur, aut dicitur Deus.* 2. Thessal. 2.

Secundò mendacium est, per bestiam illam secundam Apocalyp. decimo tertio, designari Papam. Hoc enim figmentum tot quasi argumentis refutatur, quot eo loco sunt verba sancti Ioannis. Sed quædam attigisse suffecerit. Primò enim dicit sanctus Ioannes, quòd fecerit *signa magna, vt etiam ignem faceret descendere in terram in conspectu hominum.* At quis Pontifex vnquam fecit ignem de cœlo descendere? Secundo dicitur bestiæ posterioris opera factum iri *imaginem bestiæ* (prioris) eique ementito quodam miraculo, quasi spiritum & loquendi facultatem datum iri. Hoc verò quis, quando, & vbi fecit Pontifex? Tertiò faciet, vt *quicunque non adorauerint imaginem bestiæ occidantur.* At quis Pontifex hoc vnquam fecit, etiamsi per bestiam illam priorem intelligeretur Romanum Imperium? Quartò. *Et faciet*, inquit Apostolus, *omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* At quando & qua ratione hoc fecit Pontifex?

Tertiò falsum est, per bestiam primam, cuius curata est plaga mortis, intelligi Romanum Imperium. Falsum est hoc, inquam, cum ex ipso contextu clarum sit, intelligi Antichristum, vel eius quendam ex septem Regibus asseclam, vt infra dicetur. Primò enim sanctus Ioannes omnia illa quæ in eo capite refert, tanquam Propheta futura prædicens recitat, atque in ipso statim capitis initio de bestia loquens ait: *Et vidi è mari bestiam ascendentem.* Atqui Romanum Imperium iam dudum erat constitutum. Secundò dicitur *Draconem* (Sathanam) *dedisse bestiæ illi virtutem & potestatem magnam.* Atqui Romanum Imperium solum inter cętera fidei Christianæ consors nos quidem post sancti Ioannis tempora non à Dracone, sed à Deo robur habuisse dicimus. Tertiò S. Ioannes refert ibidem, quòd curata iam plaga bestiæ fuerit *adoratus Draco.* At restituto Occidentali Imperio, sub Carolo Magno non adoratus, sed profligatus fuit Sathanas, præsertim è Germania, cui Romanum Imperium postea insidebat. Quarto dicitur quod bestia illa prima, iam à vulnere sanata, *aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculũ eius & eos qui in cœlo habitant.* At Christiani cultũ Dei & Sanctorũ erectum & promotũ, non extinctũ, per Romanũ Imperiũ in Occidente restitutũ agnoscunt. Quintò non potuit bestia illa prior clarius ad Antichristũ designandum referri, quã quod ibidẽ dicitur: *Data est ei potestas*

centius Lyrinensis, *foetores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur.* Primò verò profert illud Lucæ 12. & Matth. 20. quibus locis non aliud, quam secularis quædam dominandi libido & licentia Apostolis interdicitur, vt alibi fusius explicatum est.

*. cont. Hun. ca. ult.*

Deinde adfert illud Daniel. 12. vbi de Antichristo dicitur, quod terram diuisurus sit, his, qui iuuant illum *in muniendo Maozim, id est cultu* (inquit Hunnius) *& Deo missatico.* Nugæ. Primò enim Pontifex transferendo Imperium ad Carolum Magnum vllam terrarum possessionem ei largitus non est: sed quascunq; terras Magnus ille Carolus felicissimis auspiciis & planè diuino nutu primus è Francis Imperator obtinuit, earum possessionem partim hæreditate, partim armis acquisiuit; à Pontifice solummodo ius & titulum, ac dignitatem Imperatoriam adeptus.

Deinde quæ hæc amentia est, ea quæ de cultu Maozim (seu Dæmonis alicuius, seu ipsius Antichristi, sic à robore denominati) dicuntur, ad veri Dei sacrosanctum cultum transferre, de qua re iam supra dictum est; cum præsertim causa nulla esse potuerit, quare à Pontifice Romano ob missæ cultum Imperium à Græcis ad Francos transferretur.

Tertiò profert locum ex Apocalyp. decimo tertio, *Vbi Ioannes,* inquit, *introducit Papam, vel bestiam habentem cornua duo simila agni; sed loquentem instar Draconis, deque ea bestia perhibet, quod plagam quæ primæ bestiæ decicorni, id est Romano Imperio inflicta fuerat per barbaros populos, Italiam vastantes rursum fuerit curaturus, euocando nimirum ex Galliis Carolum Magnum, cuius adiutus copiis populos illos ex Italia eiecit, & Imperium ad Francos transtulit.* Hoc scilicet est ex scriptura probare fidem; calumnias & figmenta sua scripturis in omnem partem velut in equuleo extensis accommodare; seu potius ipsas scripturas centonario more, ad vanissimi commenti descriptionem per vim trahere & rapere, non aliter ac si quis phrasibus ex Virgilio mutuò sumptis nouam aliquam fabulam descriptam reddere vellet. Sed corrigamus hos Bibliocentones Hunnio ex meris mendaciis & calumniis cõfectos. Primò falsum est, quod per bestiã habentem cornua duo intelligatur Antichristus, vt supra diximus, & ex eo euidenter colligitur, quod de secunda bestia refert S. Ioannes his verbis: *Et fecit terram & habitantes in ea adorare bestiam primam.* At sanè Antichristus, si scripturis credimus, se ipsum pro Deo, pro Rege, pro Monarcha solo ac summo venditabit vt cap. præcedente ostendimus. Deinde de bestia secunda dicitur, factură *potestatĕ prioris bestiæ omnem in cõspectũ eius.* Sed quænam illa *potestas omnis prioris bestiæ*, quam in eius conspectu facere possit Antichristus, si quidem, vt aiunt, per bestiam priorem Romanũ Imperium designetur, quo tamen, vt ex scriptura S. Patres euidenter docent,

cent, ſub tempus illud Imperii Antichriſti non amplius extabit. Tertiò beſtia ſecunda faciet adorari imaginem beſtiæ prioris, quod nunquam faciet Antichriſtus, extollendus iuxta vaticinium S. Pauli, *ſupra omne quod colitur, aut dicitur Deus.* 2. Theſſal. 2.

Secundò mendacium eſt, per beſtiam illam ſecundam Apocalyp. decimo tertio, deſignari Papam. Hoc enim figmentum tot quaſi argumentis refutatur, quot eo loco ſunt verba ſancti Ioannis. Sed quædam attigiſſe ſuffecerit. Primò enim dicit ſanctus Ioannes, quòd fecerit *ſigna magna, vt etiam ignem faceret deſcendere in terram in conſpectu hominum.* At quis Pontifex vnquam fecit ignem de cœlo deſcendere? Secundo dicitur beſtiæ poſterioris opera factum iri *imaginem beſtiæ* (prioris) eique ementito quodam miraculo, quaſi ſpiritum & loquendi facultatem datum iri. Hoc verò quis, quando, & vbi fecit Pontifex? Tertiò faciet, vt *quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ occidantur.* At quis Pontifex hoc vnquam fecit, etiamſi per beſtiam illam priorem intelligeretur Romanum Imperium? Quartò. *Et faciet*, inquit Apoſtolus, *omnes puſillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ſeruos habere characterem in dextra manu ſua, aut in frontibus ſuis, & ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.* At quando & qua ratione hoc fecit Pontifex?

Tertiò falſum eſt, per beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis, intelligi Romanum Imperium. Falſum eſt hoc, inquam, cum ex ipſo contextu clarum ſit, intelligi Antichriſtum, vel eius quendam ex ſeptem Regibus aſſeclam, vt infra dicetur. Primò enim ſanctus Ioannes omnia illa quæ in eo capite refert, tanquam Propheta futura prædicens recitat, atque in ipſo ſtatim capitis initio de beſtia loquens ait: *Et vidi è mari beſtiam aſcendentem.* Atqui Romanum Imperium iam dudum erat conſtitutum. Secundò dicitur *Draconem* (Sathanam) *dediſſe beſtiæ* illi *virtutem & poteſtatem magnam.* Atqui Romanum Imperium ſolum inter cętera fidei Chriſtianæ conſors nos quidem poſt ſancti Ioannis tempora non à Dracone, ſed à Deo robur habuiſſe dicimus. Tertiò S. Ioannes refert ibidem, quòd curata iam plaga beſtiæ fuerit *adoratus Draco.* At reſtituto Occidentali Imperio, ſub Carolo Magno non adoratus, ſed profligatus fuit Sathanas, præſertim è Germania, cui Romanum Imperium poſtea inſidebat. Quarto dicitur quod beſtia illa prima, iam à vulnere ſanata, *aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculũ eius & eos qui in cœlo habitant.* At Chriſtiani cultũ Dei & Sanctorũ erectum & promotũ, non extinctũ, per Romanũ Imperiũ in Occidente reſtitutũ agnoſcunt. Quintò non potuit beſtia illa prior clarius ad Antichriſtũ deſignandum referri, quã quod ibidẽ dicitur: *Data eſt ei poteſtas*

*facere menses quadraginta duos.* Quod tempus planè conficit tres illos annos cum dimidio, quibus ex Daniele regnum Antichristi duraturum esse omnes sancti Patres vna voce asserunt, tribuendo videlicet anno vni duodecim menses. Quonam modo autem quadraginta duobus mensibus duntaxat Romanum Imperium durauerit, aut durare debeat, ne somniando quidem dixerit quisquam. Non ergo Antichristus sanabit bestiam aut Romanum Imperium: sed potius vel ipsemet Antichristus, postquam se mortuum finxerit, semetipsum rursus per imposturam, ope Draconis siue Diaboli, quasi ad vitam excitare videbitur, vt plerique veteres eum locum exposuerunt: Vel vt quibusdam placuit, per illud caput *quasi occisum* & postea *curatum*, intelligitur vnus ex illis septem Regibus initio quidem in prælio cum Antichristo lethali vulnere percussus; sed postea tamen curatus, atque in potestatem Antichristi redactus.

...pa. 397. Quartò allegat Hunnius illud ex Apocalypsi cap. 17. vbi Papa *introducitur*, inquit, *vt scortum nobile, quod insideat decicorni bestiæ, eamq; subigat & tractet pro libitu, Regesque terræ veneficijs ac vino prostitutionis suæ dementet.* Sed hęc quoq; vanissima calumnia est, per scortum illud Papam intelligi. Cur non potius Hunni per meretricem illam magnam, purpuratam, mundoque exteriore eximiè nitentem, insidentem bestiæ, ebriam sanguine Sanctorum, supra decem montes sedentem intelligamus hæresim Lutheranam, aut Caluinisticã; exterius quidem ac in speciem scripturæ sententiis venustè ornatam, sed Diabolo insidentem, septemque peccatorum capitalium montibus incumbentem, & vt ex Lutheri & Caluini spiritu patet, inhiantem sanguini iustorum, cur non per poculum mulieris variis abominationibus plenum, quo *populos terræ inebriare* dicitur, accipiatur omnis illa errorum ac Sectarum colluuies, hominibus quidem
...noth. 4. carni deditis suauiter adblandiens, & vt Apostolus loquitur *pruriens auribus*, sed reuera *plena abominationum atq; fornicationis*, ex omnibus scilicet erroribus antiquorum Hæreticorum, compacta & consarcinata. Equidem facilè probarem, hanc explicationem textui multò magis conformem esse, quàm vestram illam sola mentiendi & calumniandi libidine inuentam, quâ eum locum Papæ, aut Pontificiæ cathedræ applicatis.

Sed veritas est, per mulierem bestiæ, hoc est, Diabolo insidentem
...rm. li. 2. eo loco intelligi, vel omnem Hæreticorum, tyrannorum, demum malo-
...& li. 3. rum hominum colluuiem, Diaboli ope ciuitatem Babylonem Hierosoly-
...de Rom. mitanæ oppositam ædificantem, *vsque ad contemptum Dei*, vt Augustinus
...if. loquitur, quæ communis est plurimorum interpretatio; vel quod ego
...r. & Vi- cum Tertulliano, Hieronymo, & plerisq; recentioribus authoribus & in-
...Apocal. terpretibus, inter quos Bellarminus, Franciscus Ribera, & Blasius Viegas,
...7. omnes quondam Societatis nostræ Alumni, viri in scripturis doctissimi,

vero-

verosimilius existimo, Romanam vrbem, non qualis iam est fidem Christianam professa, Romanisque Pontificibus subdita, sanctitatis & fidei magistra, & vt ait S. Hieronymus, *quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi Confessione deleuit, vrbs potens, vrbs orbis Domina, vrbs Apostoli voce laudata*: sed qualis circa tempora S. Ioannis Apocalypsin scribentis erat, Idololatriæ princeps, superstitionum auctrix, Christiani nominis crudelissima insectatrix, & sub Neronis & Domitiani, & paulò pòst sub Traiani dirissimis persecutionibus, multorum millium Martyrum sanguine ebria; qualem etiam excussa Romani Pontificis obedientia, circa finem mundi futuram non obscuris argumentis quidam colligunt. Hæc vrbs talis, & tam detestabilis, adeo prona Diaboli ope nixa, vt planissimè ac sigillatim citati authores declararunt, per illam mulierem bestiæ, hoc est, Diabolo, non Romano Imperio insidentem designatur. Pontificem autem, vel sedem Pontificiam, aut Ecclesiam Romanam, qualis modo est, per mulierem; & simul per bestiam Romanum Imperium significari, ne somnianti quidem sobriè videatur. Adeo multa & manifesta huic tam impudenti calumniæ aduersantur. Attingamus quædam. Primò dicitur *mulier ebria de sanguine Sanctorum*; at quinam Pontifices, Sanctorum adeo copioso sanguine maduerunt, nihil de hoc planè historiæ habent, cum è contra plurimi Pontifices sanguinem pro fide fuderint: Imò à S. Petro vsque ad S. Siluestrum, si non omnes, certè quasi omnes & quidem ad triginta Martyres fuerint. Quod si vel Hæreticos Diaboli martyres nobis dabit Hunnius, nos semper vnius loco centum Catholicos Dei Martyres ab Hæreticis, aut Ethnicis interemptos reddemus. Secundò bestia, cui mulier insidere dicitur, habet *capita septem & cornua decem*. Per septem autem capita significari septem montes, & septem Reges, ipsemet S. Ioannes infra declarat. Qui etiam addit, ex illis *quinque cecidisse, vnum esse, & alium nondum venisse*, & cum venerit, oportere illum *breue tempus manere*. Quinam autem sunt septem illi Reges, qui Romano Imperio tanquam capita prædicto modo inhæserint? Dicerent fortè aduersarii, esse septem Electores Imperii, nisi ex Imperio pelli timerent. Sed hoc etiam nec scriptura, nec historia admittit. Primò enim Antichristus secundum aduersarios iam multò ante hanc septemuirûm dignitatem constitutam exortus fuerat. Secundò Electores septem non sunt Reges septem: sed vnus tantum illorum Rex est. Tertiò ex septem illis Regibus dicit S. Ioannes *quinque* iam tunc *cecidisse: vnum esse, alium nondum venisse*; quæ nec per somnium quidem Electoribus Imperii adaptari queant.

Hieron. lib. 2 contr. Iouin.

Tertiò dicitur ibidem, quod decem Reges *cum Agno pugnaturi, & ab agno vincendi* (atque adeò infideles & impii) vnà *cum bestia desolatam facient mulierem fornicariam, eamq; igne concremabunt*. Atqui Pontificia

cathedra hactenus nunquam desolata fuit, multò minùs igne cremata; nec vnquam igne cremari poterit, vtpote spiritualis. Neque dici potest quinam sint futuri decem illi Reges infideles, qui potestâte sua bestiæ, hoc est, vt vult Hunnius, Romano Imperio tradita, Christum simul & Pontificem impugnaturi sint. Et quid opus est pluribus hoc figmentum reuellere? cum ipsemet S. Ioannes adeò luculenter declaret, per mulierem, non Pontificem, non Pontificiam cathedram, sed *ciuitatem*, nec ciuitatem quamlibet, sed iam tempore S. Ioannis orbis Dominium habentē, qualis quidem tunc sub Imperatoribus erat Roma, minimè verò Pontifex. *Et mulier*, inquit ibidem, *quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.*

Habet igitur hîc Hunnius responsum ad sua somnia potius & conuitia, quàm argumenta, & simul etiam ad *irrefutabiles* illas nugas, quas certè conglobati Iesuitæ nunquam reuellant, cùm vel minimus quispiam iis exsufflandis satis sit.

Et sanè mirum est ob Romani Imperii translationem adeò insanire Prædicantes. Si enim res hæc noua esset, nec à Pontificibus aut Prophetis toties vsurpata, si infaustis auspiciis tentata, si Germaniæ probro aut damno facta, si orbe vel vrbe repugnante suscepta, si ab ipso Deo euentum secundante adeo manifestè non comprobata, si per hominem minus probatis moribus, si non maximo tam fidei ac Religionis, quam Germaniæ cōmunis patriç nostrç ornamento peracta fuisset; esset sanè in quo probabilem calumniandi materiam haberent Prædicantes. Iam quia nec Deo, nec hominibus inuitis, publicoq; & euidenti Religionis nationisq; Germanicæ bono & splendore, iuxta probatissima exempla Prophetarum &
9. & 10. sacerdotum, Samuelis, Eliæ, Elisæi, Ioiadæ Pontificis, quin etiam S. Grego-
. 16. 3. rij Magni à sanctissimo Pontifice Leone III. quem adeo grandi miraculo
.4. Re- Deus è manibus hostium eripuerat, videndi atq; loquendi facultate resti-
& 15. 2. tuta, cui prius hostium immanitate & oculi eruti, & lingua radicitus exci-
lip. 23. sa erat, translatio illa facta est; nescio quid hîc improbare merito possint
li. 11. c- Prædicantes, nisi hoc vnum, quod stante & vigente in Germania S. Ro-
. mano Imperio, Aquiláq; veri solis iubar, Catholicæq; fidei lumen synce-
las. A- ris adhuc atq; infractis oculis contuēte, non satis sibi liceat esse improbis.
c. Illud porrò, cum dicerem, ex doctrina Prædicantium consequens esse, *Idololatras & Antichristi prostibula, nullos vnquā verè Christianos Principes ac Imperatores ante Lutherum habuisse Germaniā*; negat Hunnius: *Fuisse enim, qui ingemuerint super impietatibus sedis Romanæ, imò qui ipsi quoque*
pa. 393. *Romanum Pontificem Antichristum publicis scriptis appellauerint.* In hui⁹ rei confirmationem adducit primò testimoniū Friderici II. Imperatoris, asserentis Pontifices Romanos *affectare, Dominationē atq; diuinitatem, nempe*

vt ab

*vt ab omnibus haud aliter, imò magis quã Deus timeantur. Nam multos Antichristos inesse Romanensibus illis, nec vllos alios, quemadmodũ opera ostendunt, exitio Christianæ religioni esse.* Sed primò cur tu, Hunni, authoré huius rei non citas? Tibi quidem certè sine teste loquẽti nemo credit. Deinde quid tu abiurati in Romanũ Pontificem hostis testimoniũ allegas? an nescis affectui non veritati eiusmodi voces plerunq; dari. Vt interim taceam nunquã in mentem venisse Imperatori, etsi alioqui multis vitiis iniquinato, Pontificem propriè Antichristũ vocare. Quid, quod aliunde euidens est, hũc ipsum Imperatoré, licet alioqui ob priuatas causas alieno in Pontificẽ animo, primatũ Romani Pontificis apertè agnouisse, vt noster etiam Bellarminus ostendit recitans hæc de eo ex Abbate Vrspergensi, *Nihilominus quoq; omni tempore, quandiu denunciabat Papa eum excommunicatũ, beneficium absolutionis humiliter cum omni obedientia, & iustitiæ exhibitione postulauit.* Quod etiam pluribus confirmat Bellarminus. *Vid. Marscot. in Chronico anni 1075 & addit. Dodechin. anno 1090. & 1093. Abb. Vrsperg. Ann. 1106. &c. Bellarmin. de translat. Imp. cap. 12.*

Adducit secundò Hunnius exempli loco Ludouicum IV. Imperatorem, qui Ioannem XXII. *mysticum Antichristum* appellauit. Sed primò & hic inimicior fuit illi Pontifici; deinde *mysticum* dixit Antichristũ; ergo non verũ et propriè dictũ. Tertiò nunquã vlla ratione Ioannem XXII. tãquam Romanũ Pontificem Antichristi nomine appellauit; sed solũ vt personã priuatam, vtpote qué ipse pro verò Pontifice non habuit. Alioquin ipsum quoq; Romani Pontificis primatũ agnouisse, euidenter constat; primò, quia oés alioqui historiæ, omnes illius literæ, facta & decreta luculẽter demonstrant, eũ Religionis & fidei Catholicæ ac Romanæ fuisse tenacissimũ; Cleri & SS. Missæ cultus tutorem & cultorem obseruantissimũ, vt præsentibus etiamnũ monumentis ac instrumentis luculenter ostendi potest. Deinde hoc ex eo quoq; manifestissimũ est, quod primatũ alioqui Romani Pontificis velut Antichristianũ adeo non respuit (quod Hęretici faciunt) vt ipsemet potius Romanũ Pontificem, priore deposito, cõstituere tentauerit, in eo quidẽ à rectæ rationis norma deflectens, quod verũ & legitimũ Papam agnoscere noluit; sed in eo semper Catholicus, quod Papã aliquem Romanũ, pro Ecclesiæ capite habendum censuit. Demũ id ex eo quoq; euidens est, quod ipsemet postea Benedicto III. Pontifici, quem magis sibi propitiũ expertus erat, ob impetrandũ absolutionis & restitutionis beneficiũ humiliter supplicauit, vt præter Robertũ Arboricensem tom. 2. de vtroq; gladio, Theoremate 7. & Albertum Argentinensem à Bellarmino citatum scribit Nauclerus generatione 45.

Tertiò obiicit Hunnius exemplum Henrici IV. Imperatoris. *Sub quo quæ fuerint,* inquit, *hominum piorum, adeoque ipsius imprimis Cæsaris de Papa Gregorio VII. iudicia, recenset Auentinus pagina 470. dicens, plerique omnes boni, aperti ingenij, simplices, tum Imperium Antichristi* *Apol. pa. 399.*

*christi cœpisse, quod ea quæ Christus Seruator noster* tot *annos antè nobis cantauit, euenisse, eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidêre.* Sed imprimis si frons Hunnio esset, erubesceret profectò, quod cæteris Imperatoribus religione nominisque celebritate clarissimis, maximis, Constantino Magno, Carolo Magno, Ludouico Pio, S. Henrico, Lothariis, Othonibus, &c. Henricum illum, hominem (vt omnes quasi Historici vno ore testantur) planè perditæ ac dissolutę vitæ, tanquam solum propemodum verè Christianum Imperatorem opponere ausit. Quid autem de illo is

ntin. li. 5. ipse, quem citas Auentinus, & quidem testatus, se in vitiis eius notādis *a-*
al. Boior. *micis crediturum? Nam Henricum,* inquit, *stupris, amoribus, impudicitia, &*
446. *adulterÿ flagrasse infamia, ne amici quidem negant.* Talis nimirum Imperator vnus quasi inter omnes, ob hoc solum, quia Pontifici se opposuit, aduersariis *Princeps verè Christianus* esse debet.

rm. li. 4. Et certè ad Gregorium VII. quod attinet; Bellarminus noster au-
ntif. c. 13. ctorum triginta duorū & ferè ex Germania omnium testimonia allegat, quibus contra fictitium illum Bennonem, seu potius contra calumniosum illum libellum, sub Bennonis Cardinalis nomine editum probat,
nt. p 446. eum Pontificem fuisse optimum. Quin etiam Auentinus ipse, etsi alioqui multa in eum Pontificem dicit, non potuit tamen illum non *sanctissimum* appellare. Cum enim retulisset, qualis fuerit Henricus, addit; *Et Gregoriū virum sanctissimum pernicaciorem extitisse, Paulus Bernrietensis, qui eius vitam libris duobus complexus est, & reliqui eius partium acerrimi propugnatores produnt.* Et rursus pag. 461. cum accusationem aduersariorum de illo Pontifice retulisset, addit; *Aduersus hæc Anshelmus Lucensis Episcopus (qui hymnos & alia, quæ de Seruatoris nostri cruciatibus præscripta sunt, de Gregorio interpretatur) & Wilhelmus Hirsunius, qui suam causam, seque iustos esse, miraculis post mortem declararunt pleraque scripsere.* Etsi postea egregius scilicet historicus addat; *ea rursus confutata esse complurlbus sacrarum literarum testimonÿs, ab Herueldensium Theologo.* Nimirum huic viro regnum Spiritus sancti in se diuisum erat; vt quod is semel miraculis fecisset comprobatum, per scripturam postea refutaret.

Vnde iam facilè colligi potest, luculentum esse mendacium, quod Hunnius verbis supra fabrè compactis insinuat, plerosque bonos, simplices, Gregorium VII. pro Antichristo habuisse. Neque verò Auentinus hoc speciatim de Gregorio VII. asserit; sed generatim cœpisse eo tempore Imperium Antichristi, creditum fuisse narrat, quanquam etiam dum hoc ipsum in Romanos Pontifices intorquet, simul & rem sine vllo testimonio narrat, & affectui potius suo (quem constat in multis sinistrum erga Pontifices fuisse) quam veritati obsequitur. Certè fides illius in hac re, si maximè id quod Hunnius vult dixisset, tot aliorum antiquorum Historicorum fidei opposita, nulla est.

Quid

Quid quod nec iste quidem Imperator quantumuis moribus cum Euangelio Lutheri apprimè consentientibus ornatus, circa Romani Pontificis primatum quidquam non Catholicum & Romanum sentit; tametsi alioqui certis quibusdam de causis erga personam Gregorij VII. pessimè affectus fuerit, vt probat etiam Bellarminus ex epistola eius ad Imperij Principes scripta, & relata à Conrado Abbate Vrspergensi in Chronico anni 1106. Vbi sic inter cætera loquitur: *Præterea Domino Papæ in præsentia Legati sui, & vestra, obedire parati sumus: & nunc parati sumus ei omnem debitam reuerentiam & obedientiam syncero corde, & deuotione præsentialiter exhibere.* Et infra. *Rogamus vos per authoritatem Romanæ Ecclesiæ, cui nos cõmittimus, & honorem regni, ne super nos, & super fideles nostros veniatis.* Et infra. *Si interpellatio vestra, nullaque alia interuentio ad præsens prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem, & sanctam Romanam vniuersalem sedem & Ecclesiam.* Vnde euidens est, ne hunc quidem Imperatorem, quidquid alioqui de priuata persona Pontificis, Gregorij septimi sibi vehementer exosi dixerit, aut senserit, Pontificem Romanum, ratione Primatus, aut officii, vnquam pro Antichristo habuisse. Ac proinde nec istum quidem, aduersariorum iudicio, inter *Imperatores verè Christianos* accenseri posse; vt omnino verissimum sit, quod initio diximus, si vt Hæretici impudenter dicunt, *Romani Pontifices Antichristus sunt, Idololatras, & Antichristi prostibula, nullos vnquam verè Christianos Principes ac Imperatores ante Lutherum habuisse Germaniam.* Quod isti quidem procul dubio, si quod sentiunt loqui auderent, dicerent: Sed nunc quid sentiant, satis est demonstrasse.

## CAPVT XVII.

### DE TEMPORE ADVENTVS ANTICHRISTI.



Ixeram in Colloquio secundum doctrinam S. Pauli 2. ad Thessalon. 2. Antichristum venturum non prius esse, quàm Romanum Imperium *è medio fiat*: quod etiam pôst in Relatione authoritate S. Chrysostomi idipsum clarissimè asserentis, probaui. Idem docent omnes SS. Patres, vt prolixè ostendit Bellarminus. Sed ab his breuiter se expedit Hunnius. *Neque nos*, inquit, *tantillum mouet hac quidem in parte authoritas Patrum*. Doleo quidem Hunni, adeo te impudentem esse, sed lætor ita nunc eam in aperto constitutam, vt nemini sanè sub aliqua simulata modestiæ specie possit imponere. Nullum enim dubium est, quin cordatus quisque in explicanda sancta scriptura sanctissimis illis ac doctissimis viris malit adhærere, quàm vobis terræ filiis, hominibus animalibus.

*Bellar. li. 3. de Rom. Pontif. cap. 5.*
*Apol. pa. 402.*

S.Paulum adhuc interpretatur de diminutione & labefactatione Imperij, non de omni omnimoda dissolutione, quidquid dicant sancti Patres, imo quidquid S. Paulus pronunciet, Antichristum prius non venturum, quã qui tenet *è medio fiat.* Sic nimirum est ingenium Hæreticorum: scripturã, scripturam clamant: sed si quid ex ea quidquam eis aduersum produxeris, nõ credunt, sed per vim ad sua somnia detortũ deprauant. Verũ quidquid isti obganniant, nos apertæ sententiæ scripturæ & SS. Patrũ inhæremus.

Dixeram quoq; in Relatione, falsum esse, Danielem dicere, Romanum regnum, quod per quartam bestiam Dan.7. designatur, ad finẽ mundi permansurum: imò contrarium apertè significare, dum meminit quartæ bestiæ cornuum, quæ præfigurant decẽ Reges, destructo Romano Imperio futuros ( vt omnes scriptores Ecclesiasticos interpretari testatur in commentariis super Danielem S. Hieronymus ) *post quos* adhuc *& alius*, inquit Daniel, *consurget, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, &c.* Vbi verum describi Antichristum dixeram, post Romanum Imperium regnaturum; etsi quidem eius regnum idcirco nec quinto Monarchiæ nomine dignum, nec quintæ bestiæ mysterio designandum visum sit, quòd Antichristus non tam Rex, quam tyrannus breuissimo tempore regnaturus sit. Respondet Hunnius, citato loco Dan.7. non Antichristũ, sed Turcicum Imperium designari, quidquid veteres dixerint. Sed primum æquo feret animo Prædicans, se cum suo grege tanto post S.Patres interuallo reponi, quanto cœlum distat ab inferno. Deinde hoc figmentum scriptura non admittit, sed duobus argumentis ex ipsis verbis Danielis firmissimè confutatur. Primò enim Daniel ait, eo tempore quo *cornu* illud *paruulum*, seu *alius* ille, de quo disputamus, consurrecturus est, Romanum Imperiũ diuisum fore in decem Reges, quorum tres à paruulo cornu occidantur, cum tamen eo tempore, quo regnum Turcicum in Machomete exortum est, penes vnum solummodo fuerit Romani Imperii potestas. Nec apparet quinam sint tres illi Reges, qui à paruulo illo cornu ceciderint. Nam quod de Asia, Græcia & Ægypto dicit Hunnius, figmentum est, cum siue de regnis loquamur, multò plura, quam tria in Turcæ potestatem redacta numerentur, vt Armenia, Syria, Arabia, Palæstina, &c. siue de Regibus, non apparet, quinam tres è decem Regibus fuerint interempti. Accedit quod Daniel. vndecimo, prouinciæ ab Antichristo occupandæ non numerantur tres illæ quas Hunnius dixit, Asia, Græcia, Ægyptus, sed Ægyptus, Lybia, Æthiopia, his verbis: *Mittet manum suam in terras: & terra Aegypti non effugiet. Per Lybiam quoque & Aethiopiam transibit.* Vt etiam S. Hieronymus in suis commentariis super Danielem ex communi Doctorum sententia tradidit.

Deinde

Deinde verò addit Daniel populum Dei per cornu illud paruulum diuexandum fore, *per tempus, tempora, & dimidiũ temporis*, hoc est per tres annos atq; dimidium; ita quidem vt eius finis tempore nouissimo terminetur, cum tamen aliquot iam seculis Turcicum Imperium perduret.

Sed obiicit Hunnius primò illud ex Danielis capite 3. Vbi dicitur *lapidem de monte abscissum sine manibus, comminuturum quatuor illa regna, & testam, & ferrum, & æs, & argentum & aurum*, quod futurum esse in nouissimo omnes consentiunt: Ergo Romanum regnum quod numero quartum est, primum circa finem mundi destruetur. Respondetur ineptissimam esse consequentiam. Non enim ideo tunc dicitur comminui, quasi immediatè prius adhuc substiterit, sed certè significatur, omnem vim ac potentiam, quam olim habuerint suo tempore illa regna, in nihilum esse redigenda. Patet hoc euidenter ex eo, quod ibidem dicit Daniel totam illam statuam quatuor regna significantem destructum iri. Constat autem priora tria regna, Chaldæorum, Persarum, & Græcorum iam dudum fuisse destructa. *Apol. pa. 399.*

Obiicit secundo illud ex Apocalypsi 17. *meretricem bestiæ*, hoc est, vt ipse impudentissime calumniatur, Papam Romano Imperio insidentem, &c. Sed hanc execrabilem esse & vanissimã calumniam non tantum Romano Pontifici, sed etiam toti Imperio extremè contumeliosam, quin etiam in ipsum Spiritum sanctum scripturæ authorem blasphemam, & à scripturis alienissimam capite præcedente euidenter ostensum est. Et sane ad execrationem vsque stupendum est, homines istos tantam calumniam Christiani Imperij auribus ingerere non vereri, Papam qui sit ipsissimus Antichristus tanquam prostibulum quoddam Romano Imperio insidere, cum quo principes terræ, hoc est, vt isti belli homines volunt, Catholicus Imperator & Principes fœdissimè fornicentur. Neque hoc dicere tantum audent, sed etiam pro magno scilicet beneficio agnosci volunt, *quod per nos*, vt modestus ille vir de se suiq; similibus loquitur *(licet infirma organa) offert Deus immortalis.* An non isti sunt, de quibus Apostolus, homines *qui carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant?* *Apol. pa. 403. Epist. Iud.*

Obiicit tertio diuisionem illam Romani Imperii in decem cornua, hoc est, decem Reges, aut iam factam, aut nunquam futuram: nec enim Romanum Imperium quale nunc est, constare decẽ cornib⁹, siue regnis. Respondetur factam non esse, ex eo euidens est, quod diuisio illa in decẽ Reges, non absque omnimoda dissolutione & destructione Romani Imperii fieri debeat, ita quidem, vt sublata Monarchia Romani Imperij, eius regna decem alii Reges obtineant, quorum nullus sit aut dicatur Imperator Romanus. Significatur hoc Dan. 3. Vbi dicitur, quod statua illa

quatuor Monarchiarum typus, duos pedes ferreos habeat, qui tandem desinant in decem digitos, partim futiles, partim ferreos. Vbi per duos pedes Romanum Imperium, bifido quasi Orientis atque Occidentis Dominio diuisum designari, ipsomet Daniele explicante, extra controuersiam est. Non minus certum est, per decem digitos significari decem Reges, in quos tandem sub finem mundi Romanum Imperium sit diuidendum. Sicut ergo nullus ex decem pedum digitis (quomodocunque tandem inter se cohæreant) pes dici potest, ita nullus quoque ex decem illis Regibus nomine & dignitate Romani Imperatoris gaudebit.

Idem colligitur ex visione Danielis capite 7. Vbi bestia illa quartum regnum, Romanum videlicet Imperium designans, desinebat in decem cornua, hoc est Reges, vt ibidem explicatur. Sicut ergo nullum cornu bestiæ, bestia aut caput bestiæ est, ita nullus ex illis decem Regibus poterit dici Romanus Imperator.

Deinde id ex eo patet, quia diuisio illa Romani Imperii in decem Reges sic fiet, vt tres à paruulo cornu cadant; septem autem eidem tādem subiiciantur, vt ex communi doctrina scriptorum Ecclesiasticorum in illum locum Danielis tradidit S. Hieronymus his verbis: *Ergo dicamus*, inquit, *quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt; in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant: tum vndecimum Regem paruulum surrecturum, qui tres Reges de illis decem, superaturus sit; id est, Aegypti, Africa, Aethiopia Reges: quibus interfectis, etiam septem alij Reges victori colla submittent, &c.* Quæ postea etiam de Antichristo interpretatur S. Hieronymus. Atqui, vt supra vidimus, ostendi non potest, quinam illi tres sint Reges, qui iam ceciderint, & quinam septem illi sub Dominio illius paruuli cornu (hoc est, vt aiunt turcę) superstites. Si enim illam orbis partem quam Romani olim Imperatores obtinebant, spectemus, semper plura inueniemus regna, quàm decem, sicut & plura quàm tria, quæ à Turcis occupata sint, & plura quàm septem quæ ab eis occupata non sint. De tribus diximus. De septem patet hoc ex refutatione Hunniani somnii. Numerat ille præter Asiam, Græciam, & Ægyptum, *anteriora illa*, vt ait, *cornua à Turcis reuulsa*, Hispaniam, Italiam, (cuius Regem Prædicans insulsè Papam
a. 401. facit) Galliam, Britāniam, Vngariam, Germaniam, *quæ*, vt ipse ait, *ferè sola ad Imperium Romanum pertinet*. Sed numera melius Hunni. Nam præterquam quod illa quæ numeras, Turcico Imperio subiecta minimè sunt, vbi regnum septimum est? Vbi cætera regna Romanis olim Imperatoribus subiecta? Equidem scimus ad Romanum Imperium olim pertinuisse in Asia quidē, Arabiam, Armeniā, Albaniam, Bithyniā, Bosphorū, Colchidem, Cappadociam, Ciciliā, Galatiam, Iberiam, Pontū, Palestinam, Pamphyliam,

phyliam, Syriam, Aſiam minorem totam, &c. in Africa, Africam minorem, Ægyptum, Cyrenaicam, Getuliam, Marmaricã, Numidiam, Mauritaniam, &c. in Europa Daciam, Thraciã, Græciam, Mæſiam, Gallias, Hiſpanias, Italiam, Illyricum, Macedoniam, Epirum, Pannoniam, &c. Ex quibus ſanè Prædicantes hoc loco nimis quam pauca commemorant, neque ſanè vnquam aptè eam in decem Reges diſtributioné numerare poſſunt. Quidquid ergo impudenter dicat Hunnius, tam certum eſſe, diuiſionem illam iam factam eſſe, *quam certum eſt, ſolem lucere in meridie, &c.* ex dictis euidenter conſtat, diuiſionem hanc factam non eſſe, atque adeo nec Antichriſtum aduenıſſe. Vnde conſequitur, eam primum ſub finem mũdi futuram. Et quamuis iam Romanum Imperium decem regna ſub ſe non contineret, facilè tamen fieri poteſt, vt tot, & adhuc plura ſibi ſubiuget.

Quinam verò honorificentiùs de Romano Imperio ſentiunt, ac eius honori & ornamento magis faueant, Lector ex dictis facilè poteſt colligere. Catholici dicunt ſanctum eſſe & Chriſtianum, Deoque peculiariter dilectum, Prædicantes aiunt impium eſſe, Deoque extremè exoſum. Catholici dicunt Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ præſidium eſſe: Prædicantes dicunt eſſe impuriſſimi ſcorti turpiſſimum mancipium. Catholici dicunt, eſſe fidei Chriſtianæ columen; Prædicantes aiunt, eſſe Antichriſti firmamentum. Catholici dicunt, nondum *è medio factum eſſe*, vt S. Paulus loquitur, ſed adhuc firmo robore, diuina gratia, perſiſtere: Hunnius dicit, vno vix adhuc pedis digito ægrè ſuſtentari. Catholici dicunt, gratias agendas eſſe Deo, quod Romanum Imperium ad Germanos transferri voluerit; Prædicantes contendunt, id execrabile Antichriſti facinus eſſe. Catholici volunt, pro beneficio Pontificis agnoſcendam eſſe dignitatem illam Romani Imperatoris conſtituendi; Prædicantes gratias expoſcunt, eò quòd Catholicos Principes, vt ipſi aiunt, impuriſſimi ſcorti procos eſſe detexerint. Catholici cum S. Paulo & ſanctis Patribus dicunt, non extinguendum, niſi ſub finem mundi; Prædicantes dicunt, iam velut pedem in vnum digitum, velut caput in vnum cornu deſiiſſe. Hoc verò quid eſt aliud, quàm dicere iam deletum eſſe? non minùs quàm pes ſublatus eſt, ſi ſolus digitus remaneat; aut caput, ſi ſolum cornu. Catholici optant & ſperant, ſi Chriſtiani Principes, vota vireſque coniungerent, Imperium Turcæ non fore diuturnum, Prædicantes dicunt, quidquid fiat, Imperium eius fore perpetuum, & ad finem vſque mundi duraturum. Lector iudicet, vtrinam maiorem gratiam apud Turcicum Imperatorem mereantur. Taceo illos Lutheri veſtri fortiſſimos ſcilicet arietes, quibus Turcicum Imperium labefactum ire tentabat. Certè quidem nota ſunt *Luther. arti-* illa: *Gerere bellum contra Turcas, nihil eſſe aliud, quàm repugnare Deo* *cul. 34.*

lib. de *visitanti, seu flagellanti nostras iniquitates per illos.* Et alibi rursus: *Consilia* .Tur. *omnia & conuentus Principum Germaniæ, Deo permittente, & Principes irridente, ad id vsque tempus à Diabolo gubernatos fuisse & impeditos, idque non ob aliam causam, quàm vt ipsius articulus de non bellando contra Turcas,* in ex- *à Leone X. damnatus indemnatus efficaxque permaneat.* Et rursus alibi: *Qui* .34. *habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papa nomẽ sub cœlo valeat.* Quin etiam bellum aduersus Turcam suscipiendum suadentes cum Prophetis Baal (3. Reg. 23.) se verò cum Propheta Michæa profanus Apostata conferre audet. *Quid ergo dicam,* inquit, *quando hîc video plus quam 40. Prophetas Baal suum Achab circumstare, & vt ascendat in Ramoth Galaad suis Prophetijs animare, & omnia prospera ei nunciare. Forte sicut Michæas, qui & ipse odiosus erat, quia non prophetabat nisi malum, dicam & ipse meo Achab, ite præliamini contra Turcas, vt resistatis virgæ Dei, & cadatis sicut & ille cecidit.* Idem scripsit lib. de potestate seculari. *Ne sequamur,* inquit, *eos,* (principes) *ad proficiscendum, aut ad contribuendum contra Turcas: quandoquidem Turca decies prudentior & probior est principibus nostris;* quos etiam infra vocat *stolidos, fatuos, insanos, curiosos, & amentes moriones.* Neque sanè immeritò Carolus V. laudatissimus Imperator in edicto Wormaciensi ex consensu Principum Imperij edito anno 1521. inter cætera hanc de Luthero sententiam tulit: *Obedientiam & regimen omne prorsus tollit, vnde populi ad defectionem & rebellionem à suis tam spiritualibus, quàm temporalibus Dominis faciendam; ad rapinas, cædes, incendia, cum magno & manifesto Christianæ Reipub. discrimine prouocentur. Quin imo cum vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicitam, & verè ferinam inducere conetur, ita exlex homo leges omnes damnat & contemnit, vt decreta Sanctorum Patrum, & sacros Canones publico igni comburere non formidauerit; facturus peiora ciuili iuri, si non magis seculi gladium, quàm Pontificis excommunicationes & censuras metuisset.* Hæc Imperator.


Annon ergo te pudet Hunni, cum tuo magno illo & sancto Patriarcha, iam tantis testimoniis notatum & conuictum, versuum illorum, quos contra Iesuitas iam dudum per calumniam confictos, sine authore, sine testimonio, sine vlla probabilitate, imo contra apertam veritatem protulisti? Quid si iam certissimis experimentis tecum agere vellem, quanta adferri possent egregia vestræ in Romanum Imperium fidei exempla & documenta; sed verba tantùm hic Bellarmini descripta red- i. 1. de dam. *Vnde quæso prodijt ingens illa rebellio rusticorum aduersus principes* . Imp. *anno 1525.* (Luthero interim lætos hymenæos celebrante) *ob quam breuissimo tempore, in vna Franconia 292. nobilium arces euersæ sunt & supra centum millia rusticorum cæsa, nisi ex doctrina Lutheri? Quid aliud Principes*

*prote-*

*protestantes anno 1545. in ipsum suum Imperatorem Carolum V. armauit, nisi doctrina Lutheri? cur tot annos Galliæ vniuersæ in motu fuerunt, nisi ob doctrinam Lutheri? quis tot rebelles populos Regibus Francorum & Hispanorum fecit, nisi posteritas Lutheri? Quis denique Anabaptistas, qui palam magistratum omnem de medio tollunt, in Germania peperit nisi Lutherus?* Habes Hunni, rem non sine authore prolatam, non absque testimonio assertam, non mendaciter confictam, sed rem testatissimam, non tam in chartis, quàm in memoria & animis hominum firmiter infixam.

## CAPVT XVIII.

### *DE CATHOLICAE VERITATIS TRIumpho in Colloquio Ratisbonensi de Prædicantibus relato.*



INscripserunt Prædicantes septimum sui Apologetici caput, *De victoria laruata, & asinino triumpho Iesuitarum in Colloquio Ratisbonensi*: in quo enumerare & refutare sibi proponunt, vtique malè sibi suæque causæ conscii, præcipua momenta illa, ex quibus victoriæ laudem captare existimabant Catholicos. Ego verò initio libens fateor, quemcunque triumphum Catholici de Prædicantibus reportârint, *asininum* optimo iure appellari. Quia nimirum Catholici, si scapha scapha appellanda sit, & res absque fuco dicenda, non nisi è meris *asinis* Prædicantibus victoriam & triumphum retulerunt. Addo etiam à deuicto Hunnio nouo Iudaismi propugnatore Iudaicum dici posse, eo modo quo Vespasianus Augustus & Titus Cæsar, olim Iudæis deuictis & subiugatis Iudaicum triumphum egisse leguntur.

Ad rem quod attinet, referam ego hic perditæ ac proditæ Prædicantium causæ, præcipua documenta, idque breuiter, quod ea iam alibi sæpius tractata sunt. Primum est ergo illud, quod Prædicantes toto Colloquii decursu contra leges & promissa sua adeo informiter disputarunt, nec vnquam vel nostra admonitione, vel serenissimorum Principum authoritate ad Dialecticam formam seruandam adigi potuerunt. Certè quidem vt desperatæ victoriæ, imo deuicti exercitus certissimum est signum fuga; ita etiam in disputando perditæ causæ apertissimum indicium est, non audere ad serium hostis congressum pedem figere, vt seruata forma Dialectica fieri solet, sed inanibus declamationibus à proposito euagari, aërem calce, non gladio hostem verberare, latebras quærere, breuiter ac diserte respondere non velle. Huc etiam spectat, quod adeo turpibus sæpe tergiuersationibus vsi, ad proposita sibi argumenta

& quæ-

& quæsita, etiam cum respondentium munere fungerentur, nihil aut potuerunt aut voluerunt respondere. De qua re prolixè à me actum est, tum in Relatione parte tertia, tum in examine Hunnianæ Relationis, à capite quarto vsque ad nonum. Vbi mendacia & calumnias Hunnii circa formam Dialecticam, quæ hic rursus repetit, copiosè refutaui. Huc etiam reuocatum volo, quod hoc loco Hunnius tangit, nimirum quòd Prædicantes à Catholicis honestissimis licet conditionibus ad peculiarem pugnam velut cominus ineundam prouocati se sistere non audebant, vt fusius etiam dictum est in Relatione part. 1. cap. 9. refutatis omnibus ratiunculis illis, quibus nunc imbellem suum animum purgare Lectori conatur Hunnius.

Secundum est, quod Prædicantes adeo multis & manifestis absurditatibus & contradictionibus semet ipsos in Colloquio inuoluerunt, de quibus prolixe actum est, tum in examine Hunnianæ Relationis, tum in Apologetico Præfationis Protocolli Monacensis; vbi etiam ad ea, quæ nobis in hoc genere Prædicantes obiecerunt, responsum est, simul etiam fucata Hunnii defensio, qua se suosque Collegas ab illis absurditatibus vindicare conatur, depulsa.

Tertium est, quod sacras scripturas etiam quoad verba & textum ipsum adeò turpiter sæpe deprauârunt, vt in eorum absurdorum serie locis citatis à nobis annotatum est. Referam hîc tantum breuiter loca illa, quæ Prædicantes etiam quoad verba sui commodi causa, in Colloquio turpiter corruperunt.

1. Sessione prima, Protocolli Monacensis editionis secundæ pag. 18. ait Hunnius; *Petrus ait priore tertio capite quouis tempore reddendam esse rationem fidei:* cum S. Petrus iuxta omnium bibliorum fidem solummodo dicat. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, &c.* De qua re Exam. Hunnianæ Relationis cap. 15.

2. Eadem Sessione prima pag. 27. citauit Iacobus Hailbrunnerus locum ex Ioannis quinto capite, hoc modo, *Est qui iudicabit vos Moyses,* cum ibi solummodo dicatur. *Est qui accusat vos Moyses.* At quia non de actore, sed de iudice quæstio erat, scriptura vocibus commutatis tempori ac errori seruire coacta est.

3. Malachiæ 2. reprehenduntur sacerdotes de peruersis moribus, maloque exemplo, quo populo peccati causa nonnunquam extiterunt, his verbis: *Vos autem recessistis de via & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Leui.* At quia hoc etiam nihil iuuabat aduersariorum causam, qua probandum susceperunt, eos etiam in definiendo errâsse. Ideo rursum Hailbrunnero visum est, Spiritum sanctum aliter loqui docere, hoc modo scripturæ textum citanti Sess. 2. pag. 35. *Nam dicitur,* inquit,

*doctrina*

*quod in scientia* (siue *sententia*, vt habet editio Monacensis) *& lege, hoc est in doctrina & fide errarunt*; cum tamen nusquam illic dicatur, eos in scientia siue sententia & lege errâsse, vt iam explicatum est.

4. Eadem Sessione secunda pag. 38. Aaronem authorem fuisse illius Idololatrici cultus, in vituli adoratione à Iudæis in deserto perpetrati, his verbis ex capite 32. Exodi, probauit Hailbrunnerus. *Ibi* (Exod. 32. inquit,) *totum negotium potissimum Aaroni tribuitur; ideo à fratre arguitur: tu fuisti author illius peccati.* Quæ sanè postrema verba quisquis legit, aliter accidere non potest, quam velut scripturæ verba ab Hailbrunnero allegata, vt satis etiã intellexit Gauglerus ille Germanici Protocolli scriptor, qui in eorum verborum interpretatione scripturæ verba, sed non deprauata, vt Hailbrunnerus fecerat, reposuit: Was hat dir das Volck gethan/daß du ein so grosse Sünd vber sie bracht hast. Sed longè diuersum est authorem esse peccati scindendo, dirigendo, &c. vt Hailbrunnerus dixerat; & nimia conniuentia, sine vlla suasione aut approbatione sceleris peccatum aliquod super populum, vt scriptura loquitur, inducere. De quo alibi. *Exam. Hun. Relat. cap. 11.*

5. Sessione quarta pag. 65. rursus scripturam corrumpit Hailbrunnerus, dum ita loquitur; *Ideo inquit, Ieroboam 1. Reg. 12. versu 18. Hi sunt Dij tui Iuda, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Cum tamen in omni versione ac editione scripturæ dicatur, *hi sunt Dij tui Israel, &c.* nec omnino Ieroboam fuerit vnquam Rex Iuda, sed Rex Israël, hoc est decem solummodo tribuum Israël, non autem duarum, Iuda & Benniamin. Sed quia fortè magis è re Prædicantis esse videbatur, publicum Dei cultum in Iuda, quàm in Israël collapsum affirmare, idcirco nimirum parua mutatione aliquot literarum, Iuda pro Israël dicere voluit.

6. Sessione 9. pag. 205. Hunnius ex Matth. cap. 25. Christo hæc verba tribuit; *Nolite vobis vocare alium magistrum in terra: vnus est enim magister vester Christus:* cum tamen Christus solummodo dicat: *Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim magister vester.* Et infra. *Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus*; prohibens videlicet solùm, ne quis pro se ipso eiusmodi honoris titulum ambiat, non autem vetans, ne, quibus conuenit, aliis deferatur.

7. Eadem Sessione nona pag. 223. ait Hunnius; *Christus in ijs locis* (Ioannis 5. & 12.) *non se sed Moysen & verbum suum constituit iudicem: Non ego, inquit, sed sermo meus iudicabit vos in nouissimo die.* Vbi duplex falsi crimen in Spiritum sanctum commisit Hunnius. Primum dum asseruit, Christum Ioannis 5. aut 12. Moysen constituisse iudicem, cum neutro loco hoc reperiatur, sed Ioannis 5. solùm dicatur; *Et qui accusat vos Moyses.* Ioannis 12. de Moyse seu iudice, seu accusatore penitus nihil. Alterum est, dum ex

alterutro loco hæc verba Christo ausus est impingere: *Non ego, sed sermo meus iudicabit vos in nouissimo die*; cum etsi quidem Christus Ioannis 12. dixerit, se dum hanc nimirum vitam viueret, non iudicare (hoc est, damnare) nusquam tamen dixerit, nec dicere potuerit, se non iudicaturum *in nouissimo die*, vt alibi à me fusius ostensum est. Atq; hic nimirum fuit triumphus ille scripturarius Prædicantiũ, quẽ meritò omnis decantare debeat posteritas. Vt hic interim prætercam plurima alia scripturæ turpissimè à Prædicantibus quoad sensum deprauata exempla, qualia in examine Hunnianæ Relationis & Apologetico pro Præfatione Protocolli Monacensis multa commemoraui. Enimverò cum aduersarii adeo insolenter scripturam iactare soleant, & omne quasi victoriæ momentum in scripturarum allegatione ponere; iam sanè detectis eorum fraudibus ac imposturis, imò etiam turpissimis falsi criminibus, quibus & quoad verba, & quoad sensum scripturam sæpissimè deprauarunt, nemo aliter iudicare potest, nisi eos esse vespertiliones illos, qui ad gladium verbi Dei alibi coxas caputque fregerint.

*ol. pro Præ- cap.7.*

Quartum victoriæ documentum est, quod aduersarii in vtroque principali Disputationis themate suas proprias theses, vi veritatis Catholicæ compulsi elidere coacti sunt, vt à me prolixè & euidenter ostensum est in Apologetico Præfationis Protocolli Monacensis cap. 11. Id solùm nunc restat, vt quemadmodum eo loco promisimus, mendacia illa ac falsa, quæ cap. septimo Apologetici sui, Hunnius vt se ab hoc infami probro quoquo modo vindicaret, copiosè effutiuit, vix quatuor scilicet paruissimis pagellis in 8. supra sexaginta falsa euomens, quæ nos hic breuiter commemorabimus, potius quam refutabimus; quandoquidem pleraque iam antea loco citato partim etiam supra cap. 2. & 4. à me euidenter & prolixè refutata sunt.

Mendacium est igitur 1. Verba quædam thesis secundæ aduersariorum *præsertim, &c.* esse à me in Relatione part. 3. cap. 5. in statu controuersiæ constituendo fallaciter dissimulata, cum non modò thesin ipsam integrè per omnia prius illic retulerim, sed & particula illa, *præsertim, &c.* generalem controuersiæ statum nequaquam restringat, vt alibi euidenter ostendimus.

*pol. pro Præ- t. cap. 11.*

2. Mendacium proinde est èt, verbis illis in thesi secunda positis, restringi præcedentem illam vniuersalem propositionem, qua vniuersim dixerant, scripturam esse iudicem controuersiarum Religionis omnium.

3. Falsum est, potuisse Prædicantes illam particulam *præsertim, &c.* restrictiuam omnium controuersiarum Religionis ponere, nisi antè certamen causam suam prodere ipsi voluissent.

4. Falsum est, si maximè verba illa, vt restrictioné adhibuissent, nihil eos contra suas theses admisisse.

5. Fal-

5. Falſum eſt,nunquam interChriſtianos oriri poſſe controuerſiam, num hic vel ille liber ſit Canonicus & verbum Dei.

6. Falſum eſt,non poſſe in Eccleſia oriri eiuſmodi controuerſiam de Canone ſcripturæ;quia non ſolum veræ Eccleſiæ poteſt eſſe controuerſia hac de re cum altera Eccleſia; ſed etiam quia eiuſdem veræ Eccleſiæ mẽbra poſſunt inter ſe hac de re controuertere, vt ibidem oſtendimus. Vt interim taceam, aduerſarios Eccleſiam viſibilem adeò latè accipere, vt quoſuis nomen Chriſti profitentes quantumuis Hæreticos comprehendat,vt patet ex diſputatione Badenſi.

7. Falſum eſt,Eccleſiam ideò non eſſe iudicem eiuſmodi controuerſiæ de libris Canonicis; quia de his libris, qui *vtrinq; hodie* cum apud nos, tum apud Lutheranos *pro Canonicis habentur,nemo omnium Chriſtianorum niſi Chriſtianus eſſe deſinat*,controuerſiam mouere poſſit. Quia ſiue reipſa moueatur controuerſia,ſiue non, ſemper Eccleſia manet iudex. Sicut in foro ciuili, officio iudex legitima authoritate conſtitutus manet, etiamſi controuerſiæ deſinant.

8. Falſum eſt,tametſi de iis libris,qui vtrinq; hodie pro Canonicis habent,non poſſet vlla inter Chriſtianos eſſe controuerſia,quod idcirco Eccleſiæ iudicio in eiuſmodi controuerſia de ſcripturæ Canone opus vnq̃ eſſe non poſſit.Poſſunt n. eſſe,& de facto inter nos vtrinq; ſunt cõtrouerſiæ,de aliis multis libris,aut partibus librorũ,v.g. Tobiæ,Iudith,Sapiẽtiæ, Eccleſiaſtici,&c. quæ controuerſiæ iudicem Eccleſiam ſibi depoſcunt.

9. Falſum eſt,quod etſi Chriſtianus nullus mouere poſſet quęſtionẽ de libris,qui inter nos vtrinq; recipiuntur;ideo controuerſia talis locum habere non poſſit: Cum ſaltem ab aliquo Hæretico eius generis controuerſia moueri queat.

10. Falſum eſt,quod aduerſariorum ſententia nullus, *niſi Chriſtianus eſſe deſinat*,mouere poſſit controuerſiam de eiuſmodi quopiam libro; quandoquidem ipſi pro Chriſtiano & Chriſtianæ Eccleſiæ viſibilis mẽbro habent quemlibet,qui poſt Baptiſmum Chriſti nomen profitetur,licet maximè Hæreticum: vt ſuperius dixi.

11. Falſum eſt,quod ſi aliquis eiuſmodi cõtrouerſiam moueret,nulla inuenire poſſet argumenta, quibus(ſecluſa authoritate Eccleſiæ) in vtramq; partem probabiliter diſputare poſſet.

12. Falſum eſt,quod etiam ſecluſo iudicio Eccleſiæ talis controuerſia*(nemine iudicante)ſponte corrueret.*

13. Falſum eſt,quod ſit *metus inanis,& proinde ridiculum* ob eiuſmodi genus quæſtionis (de authoritate ſcripturæ) alium *viſibilem iudicem* præter ſcripturam,conſtituere.

14. Falſum eſt, nos ſcripturam ſacram *ab officio iudiciario remouere.*

Cum enim hoc officii ſcriptura nunquam habuerit, quomodo ab eo remoueri poſſit?

15. Turpiſſimum mendacium eſt, Hunnium cum ſuo Collega non conceſſiſſe, eſſe traditionem non ſcriptam, quod hic vel ille liber ſit Canonicus & verbum Dei, vt à me loco citato ex ipſis Prædicantium verbis euidenter & luculenter oſtenſum eſt.

*Apol. Præfat. cap. 11.*

16. Fœdiſſimum mendacium eſt, Prædicantes ſemper diſtinxiſſe in Colloquio circa illud genus quæſtionis, de nomine ſcriptoris, & Canonica authoritate libri, vt ibidem probauimus.

*Apol. pro Præfat. cap. 9.*

17. Mendacium eſt, Prædicantes ſemper diſtinxiſſe in Colloquio inter traditiones, quas ipſi vocant dogmaticas, & inter hiſtorias, quaſi videlicet illos tantum, non iſtas negauerint: vt ſupra cap. 4. probauimus.

18. Falſum eſt, inter nos & illos ſolum eſſe controuerſiam de traditionibus illis, quas ipſi vocant *dogmaticas*, vt ibidem oſtenſum eſt.

19. Mendacium eſt, Prædicantes vllam eiuſmodi traditionem noſtram dogmaticam refutaſſe, aut refutare poſſe.

20. Falſum eſt, *his tantum controuerſijs* (de traditionibus eiuſmodi dogmaticis) *iudicem quæri*, aut quærendum eſſe.

21. Falſum eſt, ſcripturam harum etiam controuerſiarum propriè iudicem eſſe: vt in Colloquio probatum eſt.

22. Falſum eſt, quod circa hanc ipſam quæſtionem, *an ſcriptura nos iudicet*, an non, Prædicantes *ſemper ad legitimam diſceptationem prouocârint*. Imo iam in hoc ipſo Colloquio ſub fidei promiſſo ad legitimæ diſceptationis formam adſtricti, formam tamen legitimam ſeruare nec voluerunt, nec potuerunt.

*Vid. Exam. Hunn. Relat. cap. 6. &c.*

23. Mendacium eſt, quod ad eiuſmodi diſceptationem *legitimam* adhuc *prouocent*, aut prouocati ſe ſiſtere auderent: cum enim Hunnius palam proteſtetur in ſua Relatione, ſe in æternum formam Dialecticam illam, quam Ieſuiticam vocat, non ſeruaturum; quomodo vnquam auderet legitima forma congredi?

24. Mendacium eſt, quod *ſemper diſtinxerint*, *quæſtiones, an exempli gratia Euangelium Ioannis ſit Ioannis, & an Euangelium Ioannis ſit Canonicum.* De quo ſupra, & in Apologetico Præfationis cap. 11.

25. Falſum eſt, quod *hoc poſterius, non ſolum ex Eccleſia primitiua teſtimonio liquent*, quaſi nimirum etiam aliunde hoc ſufficienter colligi poſſit; de quo in exam. Hunn. Relationis ca. 18.

*cap. 3.*

26. Falſum eſt, id imprimis colligi ex ipſomet Euangelio S. Ioannis, de qua re etiam ſupra dictum eſt.

27. Falſum eſt, quod *ſi argumentum, ſi res ſpectes, aliaque ſimilia documenta in ipſo libro contenta*, colligi ſufficienter poſſit, totum hoc Euangelium

um,quod in manibus modo habemus,ſecundum omnes ſuas partes(quas vtrinque pro Canonicis habemus)eſſe Canonicum;de quo alibi. *Exam. Hun Relat. cap.18*

28. Pueriliter falſum eſt, quod Eccleſia primitiua potuerit colligere ex libris poſterius ſcriptis,quinam Canonici eſſent, per collationem eorum librorum cum præcedentibus, quos conſtabat eſſe verè Canonicos,vt etiam alibi probatum eſt. *Ibidem.*

29. Falſum eſt,Eccleſiam ex eo præcisè,quia in aliquo libro deprehenderet quidquam,quod aliis libris repugnaret,potuiſſe ſtatim colligere, ipſum librum per ſe Canonicum non eſſe. Poterat enim, ſi aliud non obſtaret, cogitare, errorem à librariis eſſe commiſſum, & ſic emendato errore,librum vt Canonicum recipere.

30. Falſum eſt, ſi maximè hoc modo Eccleſia Canonem ſacrum ſtatuiſſet, ideò ſcripturam non Eccleſiam iudicem eiuſmodi quæſtionum eſſe dicendam; cum is vbique Iudex ſit, qui perpenſis cauſæ momentis ſententiam profert.

31. Falſum eſt, quod ob illam præcisè cauſam ſupra indicatam, tot libri Apocryphi reiecti ſint.

32. Falſum eſt, fuiſſe libros aliquos tanquam Apocryphos reiectos, *qui putabantur ab Apoſtolis profecti*;quaſi nimirum vnquam communi ſententia librum aliquem Apocryphum pro Apoſtolico habuerit Eccleſia.

33. Falſum eſt ineptiſſimè, quod vt agnoſcatur Euangelium S. Matthæi eſſe Canonicum,*prius* EX SCRIPTVRA *conſtare debeat ea quæ ſcripſit Matthæus eſſe Canonica.* Nam aut loquitur de ipſa ſcriptura S.Matthæi,ex qua id prius conſtare debeat,& hoc perinde eſt, ac ſi diceret. Vt conſtet Euangelium S. Matthæi eſſe Canonicum, debere prius conſtare Euangelium S.Matthæi eſſe Canonicum.Si de aliis ſcriptis Apoſtolorum & Euangeliſtarum loquitur,in quib⁹ alioquin de S.Matthæo velut Apoſtolo fit mentio, tunc ſequitur, Euangelium S.Matthæi (qui primus eſt ſcriptor noui teſtamenti) in primitiua Eccleſia non potuiſſe haberi pro Canonico, priuſquam aliorum Apoſtolorum vel Euangeliſtarum ſcripta accederent. Et quia de his etiam libris conſequenter ſimili modo ratiocinari debet Hunnius,conſequens eſt, aut de nullis libris noui teſtamenti potuiſſe cognoſci, eſſe Canonicos; aut certè id aliunde fuiſſe cognoſcendum.

34. Huic affine falſum eſt, quod ad hoc vt conſtet Euangelium S. Matthæi eſſe Canonicum,conſtare prius ex ſcriptura aut aliunde debeat, omnia *quæ ſcripſit Matthæus eſſe Canonica.* Non enim eſt neceſſe, vt qui vnum librum Canonicum ſcripſit,nihil niſi Canonicum ſcripſerit.

35. Falſum eſt,etiam poſito,quod prius id,de quo loquimur,conſtare debeat,vel ex ſcriptura,vel aliunde;ideò tamen vel ex ſola, vel potiſſi-

mum ex ſcriptura colligi poſſet, hoc Euangelium Matthæi, quod nunc in manibus habemus, eſſe Canonicum, cum nec ex ſcriptura ſolùm, nec potiſſimum cognoſci poſſit, hoc Euangeliũ verè à S. Matth. conſcriptũ eſſe.

36.37.38. Falſum eſt, ſcripturam eſſe huius controuerſiæ iudicem; ſiue ſpectes illa critiria, ex quibus ſolis certi nihil in hoc quæſtionis genere concludi poteſt; ſiue ſpectes collationem ad reliquam ſcripturam, quam ſcriptura non facit, ſed Eccleſia; nec ita facit Eccleſia, vt ſecluſa aliqua infallibili authoritate iudicandi, certum & infallibile iudicium ferre poſſit: ſiue ſpectes iudicium de infallibilitate perſonarum, à quibus libri ſunt profecti: tum quia hoc iudicium ex ſcriptura haberi non poteſt, niſi prius aliunde conſtet ſcripturam eſſe, &c. tum quia id iudicium nec ſufficiens eſt, nec vndequaque neceſſarium ad hoc genus quæſtionis de libro aliquo Canonico determinando, vt paulo ante oſtenſum eſt.

*Apolog. ...t.cap.11.* 39. Falſum eſt, quod inconcuſſa maneat theſis aduerſariorum de iudice controuerſiarum.

*...p. ca. 4.* 40. Idque etiamſi maximè ſcriptura eſſet iudex omniũ omnino (quæ aduerſarii vocant) dogmatum & articulorum fidei, quod ipſum tamen falſum eſſe in Colloquio probatum eſt.

41. Mendacium eſt, quod hic rurſus repetit, *quæſtionem de ſacris libris non poſſe venire in litem, inter nos qui Chriſtianorum nomen ſibi vendicant.*

42. Falſum eſt, ſi in controuerſiam veniret; eius quæſtionis diiudicandæ *minimas partes* reſidere penes Eccleſiam.

Et quod eſt 43. falſum, *omnium maximè ac prope in ſolidum ex ſcriptura decidi poſſe & debere.*

44. Quanquã hoc ipſo quod Hunnius aſſerere non audet, hoc iudiciũ in ſolidũ ad ſcripturã ſpectare, ipſemet falſum eſſe agnoſcit, quod alioqui ſtatuere nititur, ſcripturã eſſe iudicem omniũ controuerſiarũ Religionis.

*Exam. ...n. Relat. ...8.* 45. Falſum eſt, Eccleſiam circa hanc quæſtionem non niſi nudum nomen authoris proferre, vt alibi probatum eſt.

46. Turpiter falſum eſt, ſi quando in hoc genere quæſtionis proferatur nomen authoris, non vt ἄγραφον, ſed vt ἔγγραφον proferri; de quo ſupra cap. 3 & 8.

47. Falſum eſt, quod omnium Canonicorum ſcriptorum nomina ſint ἔγγραφα, vt patet ex epiſtola ad Hebræos; item librorum Ioſue, Iudicum, & Regum, &c.

48. Falſum eſt, quod in omni eiuſmodi genere quæſtionis vim habere poſſit teſtimonium ſcripturæ de infallibilitate ſcriptoris ad ſcribendos libros Canonicos, vt ſupra oſtenſum eſt.

49. Falſum eſt, quod de infallibilitate authoris ad ſcribendos libros Canoni-

Canonicos non possit etiam ex traditione constare, sicut quidem constabat tempore Apostolorum, priusquam libri noui testaméti scripti essent.

50. Falsum est, vt etiam supra ostendimus, de hoc prius constare debere, quàm constet aliquem librum in particulari esse Canonicum.

51. Falsum est, quod fingit Hunnius, hoc exemplo librorum Canonicorum, vnius tantum peculiaris quæstionis iudicem, inquiri. Ostensa enim hac veritate, nimirum vnius controuersiæ huius fidem nostram concernentis iudicem esse Ecclesiam, non scripturam; protinus sequitur, Ecclesiam habere infallibilem authoritatem iudicandi, atque adeo non modo in hac quæstione, sed etiam vniuersim in cæteris Religionis controuersiis iudicium eius infallibile esse.

52. Falsum est, Romanum Pontificem, (de quo tamen nihil iã quærimus) ideo in hac controuersia *non posse esse iudicẽ, quia constet, eum præterea, quæ sunt in primitiua Ecclesia determinata, nihil noui afferre posse*; posse enim Ecclesiasticum Magistratum leges ad cultum & religionem spectantes denuò sancire; tùm in Colloquio, tùm supra capite 9. probatum est.

53. Falsum est, quod inconcussa persistat Prædicantica interpretatio locorum Deuteronomij, 4. 5. & 12.

54. Falsum est, quod si, vt aiunt, locis illis Deuteronomii omnis additio in cultu extra scripturas prohibeatur, nihil suæ causæ aduersum admittant, fatendo, Ecclesiam (non scripturam solam) nomina & authores scriptorum Canonicorum prodere.

55. Falsum enim est, quod proferendo authores librorum Canonicorum extra scripturam, nihil addatur scripto verbo, vel in cultu, vel in pręceptis doctrinam aut mores concernentibus. Addit enim in cultu v.g. dùm hoc ipso aliquem à sanctitate alioqui conspicuum vt Euangelistam colendum decernit, qui alioqui, vt talis, coli non posset, &c.

56. Falsum est, quod si Ecclesia authoribus librorum Canonicorum testimonium non perhiberet, detraheret ideo de verbo scripto. Posset enim se nihilominus indifferenter habere, & nec addere, nec detrahere; sicut nec detrahebant olim, qui adhuc, re indeterminata, aliquem librum pro sacro & Canonico non habebant.

57. Quod si tamen verum esset, quod Ecclesia negando testimonium authore sacro, v.g. subticendo Euangelium S. Matthæi esse Matthæi, detraheret de verbo scripto aliquam eius partem, tunc falsum est, quod iudicium de Canonicis libris non ab Ecclesiæ testimonio potissimum pendeat, vtpote qua testimonium perhibente, de nomine & authoritate scriptoris, iam liber habetur Canonicus, negante verò testimonium eiusmodi liber è Canone tollitur.

58. Fal-

58. Falſum eſt,quod ait,*ſi maximè hæc editio nominis dici poſſet additio*, tamen adhuc *inſulſam fore ratiocinationem Papiſtarum*: *Hæc additio* ( quod Euangelium Matthæi ſit Matthæi) *non eſt illis Deuteronomij locis prohibita: ergo nec additiones Pontificiæ prohibentur.* Nam præterquam quod de cæteris traditionibus iam non agimus,optima tamen adhuc illa conſequentia eſt. Nam cum loca illa Deuteronomij generalia ſint,certè ſi vnam traditionem non excludunt, non excludent etiam aliam , hac quidem præcisè ratione , quod extra ſcripturam introducta eſt, vt ſupra luculenter oſtendi.

59. Vana impoſtura eſt, quod rurſus confundit quæſtionem de Eccleſia generatim , de qua nunc agimus , cum altera quæſtione de Pontifice,de qua iam non agimus.

Et 60. rurſus quæſtionem de Eccleſia generatim , cum quæſtione de hac Eccleſia.

Exam. Hun. Relat. cap. 18. 61. Falſum eſt,Eccleſiam ſolùm primitiuam eſſe in hoc genere quæſtionis iudicem,conſequentem autem Eccleſiam iudicem eſſe non potuiſſe,de quo alibi.

62. Falſum eſt , Eccleſiam primitiuam eatenus tantum fuiſſe iudicem, quatenus potuit *inſpicere originalia & authentica exempla ſcripturarum*;quaſi verò Apoſtoli non niſi ſigillo quodam certo appreſſo , aut non niſi manus ſuæ ſubſcriptione ſuis ſcriptis fidem conciliare potuerint,vt iam inter homines fieri ſolet.

63. Falſum eſt , quod æquè poſſint ex antiquitate iudicare Prædicantes , quid vetus Eccleſia de hoc vel illo iudicii fecerit , quàm Papa. Prædicantes enim citandos nouimus. 2. Tim. 3. at ſuper Petrum,Petrique ſucceſſores(ſub Chriſto)ædificatam Eccleſiam legimus. Matth. 16.

64. Falſum eſt , quod Papa non *ex argumentis & rationibus iudicium faciat.* Sequitur enim in Canone conſtituendo antiquiſſimorum Conciliorum ac Patrum ſententias atque iudicium, vt de ſingulis luculenter oſtendit Bellarminus tom. 1. de verbo Dei;atq; etiam non ita pridem D. Piſtorius contra Magiſtellum (vt vocat)Marpurgenſem.

65. Calumnia eſt, quod Papa ſine omni prorſus ratione poteſtate quadam *prætoria, adeoq; tenedia bipenni* rem decidere conſueuit. Scilicet, quia Concilia potius antiquiſſima & SS. Patres, quam profanos Prædicantes conſultores adhibet. Quæ omnia falſa Hunnius, vt dixi , vix quatuor pagellis euomuit.

Cum ergo aduerſarii in vtroque principali totius Colloquij puncto,ob quæ diſcutienda etiam Ratiſbonæ vtrinque conuentum eſt, ſuaſmet theſes, vi argumentorum adacti propria confeſſione euertere debuerint, nec contra hæc Hunnius , tametſi ſumma vi obnitatur , quidquam niſi

nisi aperta mendacia & falsa producere queat;restat sanè, vt quisquis eos victos non videat,nihil videat.

Sed & quintum adhuc victoriæ documentum superest;quo præcedens etiam illud mirificè confirmatur,quod nimirum in principali totius controuersiæ puncto, & in eo quidem ipso responso, in quo aduersarii, vt dictum est,suam thesin propria confessione eliserant,& ad quod ab eis extorquendum, nostri per horam amplius in Colloquio pertinacissimè vrgendo laborabant,aduersarii finito Colloquio,in Protocolli reuisione, publicum Protocollum turpissimè deprauarunt,& pro voce TRADITAM, qua nimirum suam causam penitus euersam sentiebant, supposuerunt voculam DESCRIPTAM contrario planè sensu. Id quod à me in Apologetico Præfationis Protocolli Monacensis ad oculum demonstratum est, refutatis omnibus ratiunculis, quibus miseri suum hoc tantum probrum tegere seu potius excusare connitebantur, ita planè, vt si quidquam humana fide exploratum reddi potest, hoc prorsus in certissimis ponendum sit. Deus nimirum est, qui nouit astutos deprehendere in astutia sua, qui quod Prædicantes maxima procul dubio commodi spe perfecerant,id eis in perpetuæ ignominiæ notam conuertit;adeo,vt hæc ipsa fraus aduersariorum Catholicis longè optatior acciderit, quàm si vox illa TRADITAM vel aureis literis in Protocollo descripta mansisset. *Cap. 12.*

Sextum est,quod Prædicantes latini Protocolli, quantumuis etiam à se iam deprauati, sententia non satis confisi, in sua Germanica versione adeo multis adhuc corruptelis eam deprauarunt,sublatis vndique absurdis quibusdam præcipuis,in quibus adeo turpiter Prædicantes suam causam egerant. Vt prolixè ostendit Andreas Montanus,in sua censura, quæ Monachij hac de re edita est. Et sunt sanè deprauationes illæ tales, quæ nulla queant ratione defendi, quidquid interpres iis fragilis ac pellucidæ telæ prætendat. Quale enim hoc est, aut probæ interpretationis,aut bonæ fidei studium,scripturas septem in locis à Prædicantibus,tam quoad ipsum contextum,quàm quoad sensum turpissimè deprauatas,vt supra ostensum est, sic vertere,non quemadmodum corruptè à Prædicantibus allegatæ in vtroque latino authentico Protocollo extant;sed prout in Bibliis syncerè inueniuntur. An hoc est interpretem agere? an hoc est syncaram versionem latini Protocolli exhibere? bona fide? sine præiudicio partis? vt Germanicus ille,sed parum Germanus versor iactat? an hoc est potius peruertere,& mutare quadrata rotundis,bona malis, errores Prædicantium corrigere, non reddere. Certè meo iudicio etiam Sathanas, si quid fortè disputando in scripturis peccârit, non alium sibi interpretem, quàm hunc Pseudoeuangelicum optârit,qui erratis facilè remedium aliquod inuenerit. Sed volui,inquit Gauglerus,in scripturæ sententiis pro-

ponendis Lutheri Germanicam versionem, cum præsertim in citatis locis à versione Dietenbergeri aliena non esset retinere: nec istud mihi quisquam Catholicorum prohibuerit. Intelligo acumen, vult nimirũ dicere. Non decebat, vt quia mei Prædicantes in scripturis latinè allegandis peccârunt, (cuius rei fides est penes Protocollum latinum) ego eorum errores in Germanica versione Protocolli imitarer. Lepidè. Quis enim vitio vertat homini probo, errorum duces errando sequi nolle. Sed audi Gauglere. Aliud est errorem asserere, aliud errorem vertere. Aliud authorem, aliud emendatorem, aliud interpretem erroris esse. Qui interpres est, quidquid & quale id demum est, quod se interpretari profitetur, seu malum sit seu bonum, seu erratum, seu rectè factum, vertere debet, non euertere, reddere, non perdere, in alia lingua repræsentare, non immutare. Hoc si facit interpres, non errat, etiamsi error sit, quem interpretatur, si non facit, cum tamen interim facere se profiteatur, turpiter errat, tametsi per se rectum sit, quod interpretatur. Exemplum exhibent scriptores sacri ferè omnes, qui cum dicta etiam pessima hominum improborum, imo ipsius etiam Diaboli referant, ac in alia lingua repræsentent, non errant: erraturi procul dubio, si quæ mala ab authoribus dicta erant, ipsi in sua versione ac historia corrigere, & correcta exhibere voluissent. Neque verò cum Gauglero disputandum puto, maléne, an bene Prædicantes scripturas adduxerint; non solùm quia ipsemet profitetur, se professione Theologum non esse, sed etiam quia id negotiũ Prædicantibus permittendum videtur, qui procul dubio, si quid opis in se esse sciant, suam causam ipsimet agent. Hoc dico, Gauglerum, seu benè illi, seu malè scripturas produxerint, non debuisse in sua versione ab allegatis eorũ sentẽtiis recedere. Si enim bene produxerunt, tunc eò libenti⁹ verbis Prædicantium debuit insistere; si male, ergò non debuit ipse interpretem professus, velut Pædagogus errores suorũ Prædicantiũ corrigere. Sed quis hoc nesciat, aut quis neget? solus Gauglerus cũ nôrit optimè, nisi prorsus Idiota sit, ignorare tamen se impudenter simulat.

Qualia verò sunt cætera pleraq; quibus addendo, demendo, mutãdo, sententiam latini Protocolli in sua Relatione turpissime deformauit? Ordinari Pontificem, vertit ipse ad Pontificatum *designari*, seu, vt ipse ait, **verordnet werden**. *Intentionẽ*, quam ad valorem Sacramẽti dixim⁹ esse necessariã, vertit ille, *deuotionẽ*; quã nemo tamen Catholicorũ vnquã somniauit ad Sacramẽti valorẽ esse necessariã; etsi quidẽ alioq; sacerdotis intersit, vt rectè disposit⁹ accedat, ne peccet. *Homousianos* interpretat᷑ eos, qui non credunt, filium vnius substantiæ cum patre: quod tamen *Amanuensis* lapsu factum dicit: Credo, quia ipsemet interpres alius non est, quàm *Amanuensis*. Interim si hoc etiã loco, vt alibi in testimonio quodam S. Au-

gustini

gustini circa vocem *Homousios* addita fuisset latina vocis explicatio, non dubito, quin Amanuensis ille à sensu minus fuisset aberraturus. Dixerat S. Dionysius, *substantiam summi sacerdotij nostri, esse eloquia diuinitus tradita*; hîc Gauglerus assuit voculã (*tota*) *substantia, &c.* Dixeram impugnãdo quandam Hæreticorũ explicationẽ circa illa loca Deut. 4. & 12. hac hypothetica oratione: *Cum si vt dixi sensus, &c.* Hîc Gauglerus omittit conditionalẽ *si*, & ex hypothetica mea ꝓpositione facit absolutã, adeoq; eã ipsam explicationem mihi impingit, quã impugnandã susceperam. Argumentũ aduersariorũ secundum. Sess. 3. propositum in vtroq; latino Protocollo sic ad verbũ habet: *Si omnes exercitiorũ Religionis constitutiones & reformationes Deo placentes tempore veteris testamenti instituta ex solo Dei verbo scripto,* VEL *secundum illud fuerunt suscepta, fuit profectò verbum illud scriptum, vnica, totalis, perfectißima & exactißima norma Religionis & fidei: at vero omnes reformationes Deo placentes, tempore veteris testamenti suscepta, ex solo verbo scripto,* VEL *secundum illud fuerunt instituta, nec dißimile exemplum inueniri potest, quod aliqua ex verbo non scripto fuerit suscepta, & Deo placuerit: Ergo, &c.* Hoc iam Gauglerus in hunc sensum vertit; *Si omnes exercitiorũ Religionis constitutiones & reformationes Deo placentes, tempore veteris testamenti instituta, ex solo Dei verbo scripto,* ET *secundum illud fuerunt suscepta, fuit profectò verbum illud scriptum vnica, totalis, perfectißima & exactißima norma Religionis & fidei: at vero omnes reformationes Deo placentes tempore veteris testamenti suscepta ex solo verbo scripto,* ET *secundum illud fuerunt instituta, nec dißimile, &c.* Vbi Gauglerus ex vtraque propositione disiunctiua fecit copulatiuam, adeo diuerso sensu, vt cum prius maior fuerit falsa, minor vera; iam è conuerso minor falsa sit, maior vera.

Significaueram ego Sessione tertia visos esse in Colloquio *Illustrissimos Principes* (Comites Palatinos designans recepta tunc apud omnes loquendi formula) suam autoritatem interposuisse, quò minus in disputando progredi integrum mihi esset: id nunc Gauglerus tum ipsa vocum interpretatione, tum etiam integra clausula addita, quæ non nisi ad serenissimos Bauariæ Duces referri potest, me seu volente, seu nolente tanquam de ipsismet serenissimis Bauariæ Ducibus à me dictum refert; cum tamen suæ SERENITATES nihil minus cogitauerint: quam vt à disputando absisterem; vt alibi in Relatione part. 1. cap. 2. ostendi.

Quid quod multorum testimoniorum ex Patribus adductorum sententiam, ne assecutus quidem esse videtur Gauglerus? Exemplo est testimonium illud Tertulliani ex libro de præscriptionibus productum, in quo interpretando quinquies minimum mentem Tertulliani aut non assecutus est, aut malè dissimulauit, vt rectè ostendit Andreas Mon-

tanus, idque adeò apertè, vt ipſemet Gauglerus errata ſua non tam excuſare, quàm ridere videatur.

Sed in eo ſibi mirificè placet, homo ſuo iudicio valdè ingenioſus, quod locum illum Tertulliani à nobis in Protocollo adductum, in ipſomet Tertulliani codice inuenire, & fortè etiam abſque indice legere potuerit, etiamſi intelligere non potuerit. Et ſanè quis non miretur Amanuenſem tam induſtrium, tam peritum, qui cum Prędicantes Ratisbonæ, ad eius generis Sanctorum Patrum teſtimonia plura quàm quinquaginta. (etſi ea cum cæteris à nobis decem diebus ante reuiſionem Protocolli perfectam Prædicantibus ſcripto tradita ſint) reſponderint nihil, ipſe nunc velut Prædicantium ſuorum Grammatodidaſcalus quiſpiam, & imperitiam videlicet & negligentiam eorum præſtans, ad duo quædam ſanè teſtimonia reſponſionem molitur. Ait ſcilicet à nobis locum illum Tertulliani inter allegandum per impoſturam decurtatum eſſe; vt ſic verum eius ſenſum fraudulenter ſuppримeremus. Vnde etiam nobis multò inſolentius inſultat, quàm Hunnius alibi in ſimili re, ſed magna ſua ignominia fecerat. Vidit nimirum ſimplex homo, in loco illo Tertulliani à nobis producto contextui inſertum ſignum præteritionis, *&c.* ſimul cum his verbis: *Et paucis interiectis*: atque vt eius ſortis homines celeri ſunt ingenio, fieri aliter poſſe non putauit, quàm aliquid noſtrę cauſæ minimè proficuum eſſe prętermiſſum. Sed multum ſuo iudicio deceptus eſt. Nam ſi quid mala fide diſſimulare voluiſſemus, non adeò diſertis & ſignificantibus verbis Lectorem de præteritione admonuiſſemus: niſi fortè neſciat Gauglerus iſte, circulatores quod ſimulatè ac fraudulenter agunt, tegere, non prodere. Sed videamus tamen quid omiſſum queratur.

Apol. Præfat. cap. 5.

Locus ille Tertulliani ex capite 28. & 29. de præſcriptionibus à nobis in Protocollo ſic ad verbum allegatus extat: *Age nunc*, inquit, *omnes errauerint*. Et paucis interiectis. *Neglexerit officium Dei Villicus Chriſti Vicarius, ſciens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipſe per Apoſtolos prędicabat. Ecquid veriſimile eſt, vt tot ac tanta* (Eccleſiæ) *in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos euentus eſt vnus exitus: Variaſſe debuerat error doctrinas Eccleſiarum. Cæterum quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergò aliquis dicere, illos erràſſe, qui tradiderunt: Quoquo modo ſit erratum, tamdiu vtique regnauit error, quamdiu hæreſes non erant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas exſpectabat: interim perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Aut ſi nec perperam, nec in uanum, quale eſt, vt ante res Dei currerent, quàm cuius Dei notum eſſet, &c.* Ita ad lite-

ad literam locus ille à nobis productus fuit. Et quid iam contra hiſcit Gauglerus? Initium ſcilicet malè à nobis interpolatum eſſe. Etenim ex prætermiſſis verbis conſtare, inquit, Tertullianum hoc loco per *Villicum Dei & Vicarium Christi*, Spiritum ſanctum, non Papam intelligere. O ſimplicem Idiotam! Quis enim vnquam Catholicorum ſomniauit, eo loco per *Villicum Dei & Vicarium Christi* Papam, non Spiritum ſanctum intelligi. Nobis quidem certè hoc nunquam in mentem venit, qui, vt ex inſcriptione teſtimoniorum eius claſſis patet, hunc locum non ad Papæ authoritatem in ſpecie comprobandam, ſed eò generatim retulimus, vt oſtenderemus, *præter ſcripturam agnoſcendam eſſe quoque communem & infallibilem aliquam Eccleſiæ authoritatem ſcripturas explicantem, & hæreſes condemnantem*. Id quod ex adducto teſtimonio Tertulliani fit manifeſtiſſimum, qui non ex ſolis ſcripturis doctrinam aliquam probandam aut damnandam cenſet, ſed ex hoc ipſo, Catholicæ doctrinæ veritatem, tanquam ab Apoſtolis traditam, liquidò probatam exiſtimat, quod tot ac tantarum Eccleſiarum conſenſu perpetuò retenta eſt.

Huc enim ſpectant illa verba: *Ecquid veriſimile eſt, vt tot ac tantæ Eccleſiæ in vnam fidem errauerint, &c.* Cæterum *quod apud multos vnum inuenitur non erratum, ſed traditum, &c.* Ex quibus verbis hæc argumentatio contra quaslibet hæreſes conficitur: Quidquid ab Apoſtolis traditum eſt, de eius veritate dubitare nefas eſt: at quidquid id demum eſt, in quo tot ac tantæ Eccleſiæ vnanimiter ſemper conſenſerunt, ab Apoſtolis traditum eſſe cenſendum eſt: Ergo, &c. Et rurſus illis verbis ſubſequentibus; *Aliquos Marcionitas, &c.* omnes hæreſes hoc argumento ſufficienter conuinci cenſet. Non eſt credibile, veram eſſe doctrinam illam, quæ poſtquam multo tempore anteà Euangelium mundo prædicatum eſt, poſtquam fides Chriſti tanto tempore in mundo iam viguit. Poſtquam tot millia millium tincta, poſtquam tot opera fidei adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata operata, tot Sacerdotia, tot miniſteria functa, tot denique martyria coronata, recens primum in mundum introducta eſt: At qui Marcionitarum: Valentinianorum, addo ego Lutheranorum, Caluiniſtarum, ZWinglianorum, Anabaptiſtarum, Trinitariorum, &c. doctrina poſtquam tanto iam tempore Eccleſia omnibus illis donis & gratiis diuinis, ex Tertulliano antea recenſitis, ſplendidiſſimè ornata viguit ac floruit, recens primum in mundum introducta eſt: Ergo, &c. Quarum vtraque ratio tam negatiuè quàm affirmatiuè facta nititur Eccleſiæ nunquam defuturæ authoritate. Et tibi Gauglere his rationibus ex Tertulliano perſpectis, quid videtur? An bonum tibi ſaltum feciſſe videris, ex Caluiniſmo ad Lutheraniſmum? ô ſi paulo agilior fuiſſes, & omni falſitatis gurgite tranſmiſſo, ad Catholicæ veritatis littus te recepiſſes, quantò &

pacatior esses, & felicior? Iam quid prodest ab vna Cloaca in aliam prosiliisse.

Quod si animus nobis fuisset, Gauglere, verba illa *Villici Dei & Vicarij Christi*, hoc loco ex Tertulliano ad Papam accommodare, certè non illa, quæ tu à nobis fraudulenter omissa inscitè calumniaris, præteriissemus, sed ea potius quæ recitauimus. Oratio Tertulliani integra sic habet: *Age nunc omnes errauerint: deceptus sit & Apostolus de testimonio reddendo quibusdam, nullam respexerit Spiritus sanctus, vti eam in veritate deduceret, ad hoc missus de Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis: Neglexerit officium Dei Villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam quod ipse per Apostolos prædicabat, &c.* Hic putat Gauglerus, ex illis verbis prætermissis, *nullam respexerit Spiritus sanctus*, &c. Consequens esse, vt post etiam Tertullianus cū *Villicum Dei & Vicarium Christi* nominat, de Spiritu sancto loquatur. Sed hoc puerile est. Constat n. Turtullianum eo loco varias personas introducere, & ab alteris ad alias quasi gradationē facere. Loquitur enim primò de Ecclesiis, quæ errauerint. Secundo de Apostolo qui *de testimonio reddendo* deceptus sit. Tertio de Spiritu sancto qui Ecclesiæ præsidio defuerit. Quid nì ergo existimari posset, eum ab hoc demū ad Papam gradum facere, nisi obstarent verba illa, quæ nos in testimonio illo Tertulliani recitauimus, cū explicās, quis sit ille *Vicarius Christi*, ait *sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quā quod ipse per Apostolos prædicabat.* Quę certè de Spiritu sancto, non de Pontifice intelligi possunt. Vnde calumniosum Gaugleri mendacium est, nos eam dignitatem Spiritui sancto ademptam transferre velle in Pontificem. Imo verò titulum hunc *Vicarij Christi & Villici Dei, &c.* (quin sanè non nisi impropriè de Spiritu sancto dici potest) adeo Spiritui sancto deminutum nolumus, vt ei quiddam etiam longè augustius & honorificentius tribuamus, eum videlicet non tantum pro Vicario Christi, sed etiam pro supremo Rectore Ecclesiæ humillimè agnoscēdo: sic tamen vt is etiam per medias personas Ecclesiam gubernet; iuxta illud Christi Matth. 24. *Quis est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus suus super familiam suam?* & Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Doctores & pastores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec concurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus fluctuantes, & circumferamur omni vēto doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Et alibi rursus *Spiritum sanctū* legimus *posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei*, ex quibus summum in terris pastorem esse Pontificem Romanum, alibi probauimus.

1Ctor.20.
Apol. Præfat. ap.3.

Sed

Sed iam alterum locum in Gaugleri capite mutilatum videamus. Est is à nobis desumptus ex eodem Tertulliano ca.31.& 32. de præscriptionibus & sic ad verbum productus: *Ea sententia manebit aduersus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendēdam sibi veritatem. Cæterùm si quæ audent* (inquit c.32.) *interserere se ætati Apostolicæ, vt ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere; Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita ab initio per successionem decurrentem, vt primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit authorem & antecessorem. Hoc n. modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia, habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum, Clementē à Petro ordinatū edit.* Et paulo post. *Ad hanc itaque formam, &c.* Siste hic parum Lector. Hæc n. petra scandali fuit Gauglero, vt dum arrogans librarius ambularet in mirabilibus super se, & scilicet sutor vltra crepitā procederet, pedes turpiter impingeret. Vidit nimirum miser hic rursus in medio cōtextu, notam à nobis interpositam, admonētem aliquid Tertulliani textu hoc loco præteriri; & statim rursus non aliud quam fraudem esse iudicauit. Omissa scilicet quædam, quæ nobis aduersarentur. Iudicium id sanè quidem stolidæ mentis, sed à Gauglero nihil alienum. Nam quorsum de omissione adeò clarè Lectorem admonere nobis curæ fuit, si omittere quidpiam profuit. Et quid tandem illud est, q vim testimonii illius, quaten⁹ eo probatur, ob solius ét successionis defectum doctrinam quampiā falsitatis damnandā esse; quoquo modo eneruet? Hęc scilicet verba, quę à nobis breuitatis causa prætcrita esse indicauimus. *Proinde vtiq; & cætera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatū constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Quid n. illis post blasphemiam inlicitum est? Sed et si confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa n. doctrina eorū cū Apostolica cōprobata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit, neq; Apostolici alicuius authoris esse, nec Apostoli: Quia sicut Apostoli non aduersa à se docuissent, ita etiam Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt.* Hæc scilicet sunt illa, quæ à nobis prætermissa significauimus. Iam sequuntur cætera, quæ post notam præteritionis ex Tertulliano ibidem vlterius produximus. *Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis viris authorem suum proferāt, vt multo posteriores, quæ deniq; quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad vtramq; formā à nostris Ecclesiis ꝓuocatæ, probēt se, quaqua putant, Apostolicas, &c.* Et iā quid illa nobis obsunt? Imo quàm multum prosunt? quàm omnia contra Hæreticos huius tempo-

temporis Lutheranos, Caluinistas, ZWinglianos, Anabaptistas, fortiter militant? Sed quia malus Grammaticus nihil horum intellexit, est id ei paulo melius declarandum. Edidit Tertullianus libellum illum de præscriptionibus, velut potentissimum & generalem malleum ad omnes hæreses conterendas. Inter cętera argumenta fortissimè vrget perpetuam ab Apostolis vsque successionem doctrinæ & Episcoporum. Atq; vt ex verbis huius loci supra producti patet, vniuersaliter contra hæreses successione hac destitutas, neque etiam doctrinæ & fidei communione coniunctas cum iis Ecclesiis, in quibus eiusmodi perpetua successio vigeat, concludit: apud eos veram Ecclesiam & doctrinam esse non posse: esse verò sine omni dubio penes eas Ecclesias, quæ cum ab Apostolis ipsis fundatæ sint, vt Smyrneorum, Romanorum, &c. continua successione eandem semper doctrinam retinuerunt. At verò quia erant hæreses quædam Tertulliani tempore, quæ Apostolorum ætate exortæ suam quoque originem continua successione ad Apostolorum ætatem referre poterant; & quia simul Ecclesiæ quædam Orthodoxæ erant, quæ cum post Apostolorum tempora primum fuissent fundatæ, perpetuam eiusmodi successionem Episcoporum ac doctrinæ ab Apostolis vsque semper continuatam in sua Ecclesia monstrare non poterant; idcirco ne & has damnare, & illas stabilire videretur, priori argumentationi velut appendicis loco addit; & has quoque, vtpote cum Apostolicis quoad fidem conspirantes, Apostolicas & Orthodoxas censendas esse, *pro consanguinitate doctrinæ*, & illas Apostolicas non esse, eò quod doctrinam Apostolicæ doctrinæ, illi scilicet, quæ in Ecclesiis ab ipsis Apostolis manifestè fundatis perpetua successione retenta est, contrariam habeant. Vides ergò mi Gauglere, quàm omnia nobis commodent, quam omnia non solùm Caluinum, quem iam abiurasti, sed etiam Lutherum expugnent, contundant, pessundent? Nam si Tertulliano fidem hic habemus, vt hoc loco, sanè maxima est tam Lutherana, quàm Caluinistica Ecclesia falsitatis euidenter redarguitur. Nam vbi vel in Lutherana, vel in Caluinistica Ecclesia est perpetua Episcoporum ac doctrinæ successio ab Apostolorum vsque tempore continuata? Vbi consensus & conspiratio cum iis Ecclesiis, quæ tali successione gaudent? *Ipsa* certè *doctrina* vestra, *cum Apostolica*, (quæ videlicet in Apostolicis Ecclesiis perpetuò permansit) *comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciat*, eam *neque Apostolici* alicuius authoris esse, *neque Apostoli*: sed impiorum hominum, hanc quidem stigmatici, illam verò Apostatici ex Monacho impostoris.

Cogitabis fortè, Tertullianum ex Apostolicis scriptis hoc loco de doctrina Apostolica iudicium fieri voluisse. Sed ineptè, & contra expressam mentem & verba Tertulliani, qui iam supra professus erat, sibi non ex scriptu-

scriptura, sed ex aliis præscriptionibus conuincendos esse Hæreticos: *Ergò*, inquit, c. 19. *non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet collatio scripturarum, vt vtramq; partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani? Vbi enim apparuerit veritatem esse disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.* Non igitur ex scripturis, sed ex successione & autoritate Ecclesiarum Apostolicarum Apostolicam doctrinam hoc loco agnosci voluit Tertullianus. Et capite trigesimo septimo, *Si hæc*, inquit, *ita se habent, vt veritas nobis adiudicetur, quicunq; in ea regula incedimus, quā Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis, non esse admittendos Hæreticos ad ineundam de scripturis prouocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si enim Hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quod de sua electione sectati, Hæreticorum nomine admittunt, ita non Christiani nullum ius capiunt Christianarum literarum; ad quos merito dicendum est. Qui estis? Quando & vnde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion iure syluam meam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos transuertis? Qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? mea est possessio, olim possideo, prior possideo; habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo.* Ita Tertullianus. Et sanè talis in toto libro, vt totus noster sit, adeo vt velut ex instituto pro nobis contra modernos Hæreticos scriptus videatur.

Tu verò iam, mi Gauglere, num vim & processum Tertulliani intelligis? nec nobis aduersum quidquam in eo prætermissum? imo verò eo ipso quod prætermissum est, vos damnari? Inposterum noli quæso sapere plus quàm oportet, sed ad sobrietatem tantum, noli vltra crepitam procedere, noli esse discipulus supra tuos magistros Prædicantes. Honorem illis defer, & ad quod respondere illi non potuerunt, tu noli ad hoc quadam respondendi, non tam facultate, quàm insolenti confidentia prosilire. Satis est, te Grammaticam legere posse, & scribere, & quædam latinè vtcunque intelligere. Cæterum in Theologicis tace & disce. Tu ipse fateris, te Theologum non esse, & idcirco etiam protestaris, te ad obiecta illa Prædicantibus quinquaginta absurda, quæ etiam Montanus in sua censura notauerat, respōsum prætermittere, vtpote relinquendum Theologis; tametsi initio insolenter promiseris te responsurum esse. Tu ipse

protestaris tibi iam esse propositum, non amplius cum Iesuitis contendere (quanquam nec hactenus fuit, nec his quidquam erit tecum, nimis quàm abiecto hoste prælii) aut vllo amplius scripto eis respondere. Tu ipse satis demonstras illud tuum paruulum qualecunque scriptum, tibi nescio quantum peperisse laboris. Multò ergò consultiùs initio pugnam vitasses, quàm nunc ex cœpto prælio aufugisses. Interim quia tibi cum Iesuitis nihil esse vis negotii, volui hîc obiter Prædicantibus tuis, ad quos nos dirigis, aliquid ex his erratis tuis, aut corrigendum offerre, aut defendendum. Nôsse enim debes Iesuitas hostium magnitudine non terreri, sed excitari; paruos verò ac ineptos tui similes Poëtas, Scenicos, Dialecticę studiosos, Grammaticos, Amanuenses, Circulatores, &c. facile despicere. Andreæ tamen Montano, quem tu ineptè ac temerè Iesuitam esse putâsti, nihil præscribo; hæc quæ non tam Montanum, quàm nos tangebant, opportunè à me hoc loco tacta esse volui. Si quid Prædicantes tui, aut alieni quidpiam contra hæc attentabunt, tu eis atramentũ, calamos & chartam para; nusquam impinges minus; nunquam dormies quietior. Si dolore victus contra tuammet protestationem secundo aleam tentabis, puerum fortasse aliquem ex scholis Iesuitarum Antagonistam senties, sed hunc ipsum tibi virum. Scis quid Poëtæ vestro Baldvveinio acciderit? ipse ferulam accepit; tu vix Grammaticus, quid senties?

Iam verò quia cum Tertulliano ad metam hic liber peruenit; vt à Tertulliano non recedamus, etsi ille quoque circa finem suæ vitæ in fide naufragium fecerit, & vt Vincentius Lyrinensis, eruditè admodum scripsit, *Catholici dogmatis, id est, vniuersalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multò quàm felicior, magna demum Ecclesiæ tentatio fuerit*; quid tamen antequam laberetur, vt cum eodem Vincentio loquar, *hoc viro doctius? Quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius? nempe omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores, assertoresque Sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero tam graui ac vehementi excelluit, vt nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pōdere eliserit? Iam vero orationis suæ laudes quis exequi valeat? Quæ tāta nescio qua rationum necessitate conferta est, vt ad sensum sui, quos suadere non potuerit impellat: cuius quot pene verba, tot sententiæ sũt, quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Appelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnostici, cæteriq; quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus euertit.* Cum hoc verò Tertulliano adhuc Catholicæ fidei propugnatore, adhuc in Ecclesiæ Romanæ (quam vocat *statu felicem, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt* & vnde sibi quoq; ait *authoritatẽ esse præsto statutã*) societate

[Margin: ...ncent. Lyri...nſ. cont. hæ...ſ. cap. 24.]

[Margin: ...ertullian. de ...ræſcrip. c. 36.]

societate persistente, adhuc Ecclesiæ iudicio plus, quàm suo, fidente, *hanc generalem contra omnes Hæreticos dirigimus præscriptionem: Si Dominus* IESVS *Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse Prædicatores, quàm quos Christus instituit, quia nec alius Patrem nouit nisi filius, & cui filius reuelauit; nec alijs videtur reuelasse filius quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis* CHRISTVS *reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere,* NISI PER EASDEM ECCLESIAS *quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Et sanè adeò magna esse huius successionis, & generalis contra Hæreticos præscriptionis vis & efficacia, vt ipsemet etiam Augustinus eam sufficientem esse censuerit, quæ in Ecclesia Catholica quemq; retineat, etiamsi quis alioqui in particulari doctrinæ Catholicæ veritatem non vndequaque sibi perspectam haberet. *In Catholica enim Ecclesia,* inquit, *vt omittam syncerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spiritales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: Cæteram quippe turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Vt ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis* (ô Hæretici) *multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino aliquo, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendat.* Ita Augustinus. Quantò nunc fidentius omnis Catholicæ Ecclesiæ aduersaria secta despicitur, quando & ipsam doctrinam Catholicam adeo luculenta veritas in apertam lucem produxit, vt non nisi aut vanissimis mendaciis, aut inanissimis nugis ac deliriis oppugnari possit; quod hoc libro contra Prædicantium Apologeticum satis

*Libr. de præscript. cap. 2*

*August. cont. epist. Manich. cap. 4.*

ostendimus, quoad ea duntaxat, quæ inter nos iam controuersa erant. Quod si quis nihilominus est, qui tam apertæ veritati refragari ausit quid mirum? Nam & *ipsi Domino & Apostolis eius plurimi restiterunt, nec persuaderi veritas cuiquam potuit, nisi ei propria religione consensit*, inquit Pacianus. *Itaque & nos non ea fiducia scripsimus, qua repugnanti aliquid persuadere possimus, sed ea fide, quâ volenti bonæ pacis aditum non negemus.*

acian. ep. 1. d Sympron.

Laus Deo & Deiparæ Virgini.



APPEN-

# APPENDIX AD LECTOREM

E*O ipso tempore, amice Lector, cum opera typographica libri huius iam dudum perfecti, editionem moraren ur, nuntium illud multorum, tam Aduersariorum, quã nostrorum constante fama celebratum, & iam certa multorum Relatione exploratum, auribus meis accidit, Hunnium, quem meus hic liber cumprimis petit, inopinato fato ex hac vita in aliam euocatũ esse. Ad Iudicem procul dubio illum, quem Prædicans antea sua dignitate spoliatum, & ex suo illo nouissimi temporis tribunali deiectum ibat, cuius loco Moysen nobis iudicem obtrudere satagebat; cuius iudicium & nobis ipse impudentissima temeritate sæpius & in Colloquio & extra Colloquium in suis scriptis interminabtur; & nihilominus sibi à nobis seriò intentatum turpiter refutabat, dum nec sub obtestatione quidem diuini illius iudicij ad honestissimum certamen in Colloquio prouocatus sistere se audebat.* *Vid. Apol. pr Præfat. cap. 5 pag. 115. Vid. Protoco. Monac. edit 2. pag. 222 &c.*

*En* Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. *Vocatus enim in Iudicium Deus adfuit; exurrexit & iudicauit causam suam: memor fuit improperiorum suorum, eorum quæ ab insipiente erant tota die: quin etiam simul nostram causam discreuit de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso (ac versipelli) eruit nos, vt planè cum Dauide exclamare cogamur:* Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrii *nostri*, de manu Nabal *(stulti huius)* & *seruos suos* custodiuit à malo & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. *Vir sanè fuit Hunnius nec attritus viribus, nec senecta confectus; sed corpore, viribus, ætate, vigens ac pollens, vt qui maximè, & tamen diuina omnipotentis dextra præcisus, eo ipso tempore defloruit, quo secundum corpus maximè floruit.* Sic pereant omnes inimici tui Domine, qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. Sic pereant peccatores à facie Dei, & iusti epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. *Exam. Hun Relat. cap. Protocol. Monac. pag. 107. Psal. 18. Psal. 73. Psal. 42. 1. Reg. 25. Iud. 5. Psal. 67.*

*Neq; tamen nos in æterna Hunnij perditione lætamur; multò minus eam vlli viuentium imprecamur, quam vbi opus foret, etiam propria morte redimerem⁹, sed hæc ideò scribimus, quia sic decet opera Dei enarrari, & iustificari Deum in sermonibus ac iudicijs suis, vt nomen eius magnum & terribile eò magis posthac & mali timeãt, & boni collaudent.* Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificũ est. *Quod si Hunnius ipse non toties diuinum nobis iudicium intentasset, neque nos vicissim seuerissimi illius tribunalis metum toties illi ob oculos posuissemus, nunquã equidem tanta confidentia hunc casum velut iusti Dei iudicij interpretem produxissem.* *Tob. 12.*

*Alioquin si meam tantummodo quietem specto, non adeo magna mihi in Hunnij morte lætandi materia est; vtpote qui etiamnum viuus mihi negotium facessere desiit. Exemplo esse potest Examen illud Hunnianæ Relationis à me*

*iam ante annum Monachij editum. Licet enim ipse quidem eo magnopere se punctum esse satis ostenderit, in Præfatione, quam sui discipuli puerili exercitationi velut hederam feculento vino (vltimum fortasse opus vr. ũ ante mortẽ) pfigere voluit, respondere tamen ausus non est, sed quasi re desperata, omni animo ac fiducia pugnãdi abiecta, discipulum quendam suum,* honoratũ, *vt ipse ait,* & præclarè doctũ iuuenem, *pro se egregium scilicet vindicem ac vicarium obstrusit; ratus in iuuene culpari non posse, quicquid demum imperitè, stolidè, pueriliter effutiat; quin potius hoc ipsum in discipulo eximiæ laudis eam, pro Magistro occumbere.*

*Ego verò vt pulchrum existimo, Magistrum, cum quo mihi certamẽ erat, fugatum & fusum esse; ita probrum duco cum discipulis litigare. Imo palã profiteor, quod alios ẽt monere me cõmemini, negotium mihi nullũ esse cum aduersæ partis Fictoribus, Pictoribus, Poetis, Agyrthis, Pædotribis, & siue Dialectica, siue Theologiæ studiosis, Saccophoris, Beanis; sed cum eorũ duntaxat sectæ Magistris ac ducibus. Hunniũ, inquam, & ei⁹ generis Molossos petunt mei lapides. Ob catellos illos patellarios, & adsputa suorũ Magistrorũ lingenda natos nec lapillum mouerim. Quod si tamẽ isti suis latratibus molesti esse pergant, non deerunt, forte, qui eis vel obiecta offa, vel impacta leniter virga silentium imponant.*

*Illud quidem certè Hunnium, si adhuc superstes esset, serio monuissem, vt suũ illũ discipulum studiosum Wittebergensem, & Alumnum Illustrissimi Comitis Palatini, virgis egregiè ac p meritis exceptũ à se abigeret: vt qui iã quinquennalis in Academia Wittebergensi Alum. nec legere quidẽ adhuc didicit. Ingens pfecto & inexpiabile probrum est, quod referam. Obijcit nobis locũ ex S. Augustino lib. 4. cont. Donatistas ca. 23. vt probet, infantes in necessitate sine baptismo per fidẽ saluari; cumq; recitat his ipsis verbis, quæ omnia diuerso charactere, vt tanquam ipsissima verba S. Augustini, à reliquis secernerentur, expressit:* Cum in infantibus non baptizatis fides ipsa præsto est, si per necessitatem desit, ꝙ latroni defuit perficitur salus. *Sic ille nefario scelere; quod sanè, nisi pueritia excusetur, non tam virgis, quam furca dignus sit. Illum ipsum enim S. Augustini locum, quem Catholici omnes in ore assiduo habent, & aduersarijs in hac ipsa re tanquam aheneum malleum opponunt, nouus iste Hunnij catulus ter turpissimè deprauatum in nos retorquet. Citatus ille S. Augustini locus iuxta omniũ Codicum fidem integer sic habet:* Quid autem valeat, & quid agat in homine corporaliter adhibita SANCTIFICATIO SACRAMENTI, sine qua tamen ille latro non fuit, quia non eius accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ necessitas affuit, difficile est dicere. Nisi tamen plurimum valeret, non serui baptismum Dominus accepisset; verum quia per se IPSA consideranda est, excepta salute hominis, cui perficienda adhibetur, satis indicat, quod & in malis, & in eis, qui seculo verbis non factis renuntiant, IPSA integra est, cũ illi nisi corrigantur, salutem habere non

*Pag. 122.*

*August. lib. 4 contr. Donatistas cap. 27.*

nō possint. Sicut autē in latrone, quia per necessitatē corporaliter defuit, perfecta salus est, quia per pietatē spiritaliter affuit, sic & cum IPSA præsto est, si per necessitatem desit, quod latroni AFFVIT, perficitur salus. Quod traditum tenet vniuersitas Ecclesiæ, cum paruuli infantes BAPTIZANTVR, qui certè NONDVM possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit: quin ēt flendo & vagiendo; cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt; & tamen nullus Christianorum dixerit, eos inaniter baptizari. *Ita S. Augustinus.*

*Iam vero quid noster ille bonæ spei studiosus Wittebergensis? In verbis nimirū illis S. Augustini:* Sic & cum IPSA præsto est, si per necessitatē desit, quod latroni AFFVIT perficitur salus; *primum adijcit illa verba quæ verbis & menti S. Augustini directè aduersantur* (in infantibus non baptizatis) *eaq; non tanquam sua verba explicationis causa, sed vt verba S. Augustini eodem typo cum cæteris eius verbis sine illo discrimine nobis exhibet quasi, vero S. Augustinus de infantibus non baptizatis loquutus sit: cum tamen ipsemet S. Augustinus mox infra declaret, se de baptizatis, non autem de non baptizatis infantibus esse loquutum, cum ait:* Quod tradit vniuersitas Ecclesiæ cum paruuli infantes baptizantur, &c. *Hoc primum.*

*Secundo pro vocula* IPSA, *ponit iuuenis ille* Fides ipsa, *quasi vero S. Augustinus de fide loquutus sit, atq; adeo infantibus non baptizatis tribuat fidem; cū tamen in tota illa sententia à me integrè recitata, ad hac quidē vsq; verba nullū verbulum de fide habeat Augustinus; quin etiam mox postea infra fidem (actualem illam quam Lutherani vrgent) etiam baptizatis infantibus expressè neget, vt ex loco citato euidens est. Accedit quod S. Augustinus per voculam* IPSA *indicat aliquod salutis medium oppositum ei, quod infantibus deest, & latroni* adfuit, *atque adeo tale omnino salutis medium significat, quod infantibus dum baptizantur adsit, cum tamen defuerit latroni; hoc autem non est fides vt patet, sed* SANCTIFICATIO SACRAMENTI, *de qua initio illius sententiæ à me recitatæ mentionem fecerat Augustinus, de qua ēt in reliqua periodo contra Donatistas disputat, quam etiam ante verba illa à Wittebergensi Scholastico producta per voculam* IPSA *bis indicauerat, vt ex verbis supra adductis liquet.*

*Sed hoc probè perspiciens iuuenis ille, aut quisquis est demum ille, qui hoc infami sputo miseri illius catuli os obliuit, per voculā,* IPSA, *fidē significari non posse, si verbum illud Augustini de latrone loquentis,* AFFVIT, *integrū consistat, hāc in verbis Augustini tertiā corruptelam nimis quā perfricta fronte aggressus est. Cum enim dicit S. Augustinus,* si per necessitatem desit, quod latroni AFFVIT *(quæ verba vt ostendi non sinunt voculam* IPSA *referri ad fidem) ipse pro* AFFVIT *reponit* DEFVIT, *eo planè modo quo ipsius Præceptor pro voce*

TRADI-

TRADITAM, *in Protocollo supponi curauit vocem* DESCRIPTAM. *Hoc ne vero est* honesti & egregiè docti *iuuenis præstare officium? Vnam sententiam S. Augustini vix vnius linea, tribus modis turpissimè deprauare? Hocne est illud, quod ipse magna iactantia in epistola dedicatoria ad suum principem,* euidentius *sua προθυμίας* specimẽ *vocat? quod* ne sanrioribus quidẽ, *vt ait,* papistis displictiurum speret? *quod laude dignum censeri poßit illis, qui illud* ἄνευ προκρίματος legant, *vt ait Hunnius? Cui discendo quinquennalia stipendia iure ac merito persoluta sint? Et quid de tali iuuene bonæ spei non concipiatur? Quam eximius aliquando Prædicans euadet? Mentiri, fallere, præstigiari tam crasso filo doctus? Non dicam plura, ex his de reliqua eius charta iudicium faciat Lector.*

*Hæc vero ob eam causam monere volui, tum vt intelligeret Lector, quænam tandem sit Hunnianæ contra nos disceptationis catastrophe; tum ne quis existimare posset, nos cum in huius libri decursu toties Hunnium compellauimus, & velut in iudicium vocauimus, aut mortuo insultare, aut quasi cum vmbra canene mortuo digladiari voluisse. Viuente enim Hunnio ea scripsimus, & sic omnino scripsimus, prout nunc defuncto Hunnio edimus. Cuius rei testis esse potest prior ille meus Apologeticus pro Monacensis Protocolli Præfatione adhuc superstite Hunnio editus & in elapsis nundinis vernalibus venum expositus, in quo hunc ipsum posteriorem Apologeticum sæpius citaui. Quod si Iacobo Hailbrunnero, qui Hunniano scripto, hîc à me refutato, suum etiam nomen impertiri voluit, libebit suam pariter & Hunnij causam proprijs lacertis contra me tueri, faxo Deo benè iuuante vt hoc gratis fecisse non videatur. Deus interim Opt. Max. miserè seductos PseudoEuangelicorum animos sua gratia illustrare, & ad vera ac Catholicæ fidei cognitionem perducere dignetur, Amen.*

FINIS.